



ANTONII BOSI
DE
EPISCOPORUM ELECTIONIBUS
DISSERTATIO.



FLORENTIÆ)(MDCCLXXI.
EX TYPOGRAPHIA BONDUCCIANA
Superiorum permissu.



DE ELECTIONIBUS EPISCOPORUM.





Iſtorica Epiſcopalium electionum ratio coniungitur cum graviſſimis in Eccleſiaſtica re quæſtionibus, ut difficillimum prope ſit ea omnia, quæ ad propoſitum attinent eleganter explicare. Utinam vero in hac tanta varietate rerum, & copia, illa ſaltem exponere, & memorare poſſem, quæ ad Eccleſiaſticas electiones penitus pernoſcendas magis conducunt. Id autem aliquo pacto me conſequturum confido, ſi formam illam iudicaverim, quam in Epiſcopis conſtituendis ſtatim ſecuta eſt vetus Eccleſia. Ab ipſis igitur incunabulis exordiar, &

 uſque

usque ad Constantini tempora disciplinam illam, quæ tunc invaluit, in medium proferam: Deinde quid de hac Ecclesiastica praxi decreverint Canones Conciliorum diversis in regionibus usque ad Imperium Caroli Magni indicabo: Postremo enucleare conabor qui mos fuerit in hisce electionibus, quæ disciplina, & quam hæc a priscis iam regulis immutata fuerit post Carolum Magnum usque ad ætatem fere nostram, in qua cum Romano Pontifice de Beneficiorum collatione simul, & de Episcopis eligendis Reges pacta, conventionesque firmarunt. Quæ vero in his Ecclesiæ Sæculis animadversione digna visa fuerint, de his etiam verba faciam, quemadmodum res, ordo, & instituta dicendi ratio postulant, adeo ut omnia, quæ ad hanc materiam spectant, magis magisque, quoad a me fieri poterit elucescant.

Initio præmonendum censeo sub nominibus consensus, suffragii, auctoritatis aliorumque id genus, quæ sæpissime occurrent, a nobis intelligi Populi potestatem cum Clero fere communem recipiendi, respuendive aliquem, quem Episcopi Provinciales ordinandum expeterent, eamque porro maiorem, minoremve, prout temporum vicissitudines paterentur. Pri-

Primam igitur electionum normam nobis Ecclesiastica Historia suppeditat cum proditori Iudæ Matthias suffectus est; quamobrem Petrus, ob illam qua pollebat auctoritatem de aliquo substituendo concionem habuit ut afflictatæ Ecclesiæ consuleret, & cum perorasset, cœteri simul Apostoli statuerunt duos *Ioseph qui cognominatus est Iustus, & Mathiam, & præcedente oratione dederunt sortes eius, & cecidit sors super Mathiam*. Hic verò prætereundum non est Petrum ad Plebem de hac re loqutum, ut eiusdem forsitan testimonio præficiendorum merita innotescerent. Nec aliter quidem se gesserunt Apostoli cum septem decreverunt eligere, qui Mensis ministrarent; Etenim convocata prius multitudine quos ipsa elegit, hi per precationem manusque impositionem ad hoc opus ab ipsis constituti fuere. Qua de re vetustæ Ecclesiæ mores luculentius explicans suis in Epistolis Ciprianus, illum usum ex Divina Traditione dimanare putat, cum a Deo iussus fuerit Moyses exuere Aaronem Stola Pontificia, eamque Filio eius Eleazaro imponere coram omni Synagoga; ac persæpe idem commendat ut in Episcoporum Electionibus Populus rogetur, quippe qui in-

genium, moresque illius, qui ordinandus fuerit agnoscere facile potest. Idem etiam patet ex Origene Homilia sexta in Leviticum. *Requiritur*, ipse ait, *in ordinando Sacerdote & præsentia Populi, ut sciant omnes, & certi sint, quia qui præstantior est ex omni Populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, & hoc adstante Populo, ne qua postmodum retractatio cuipiam, ne quis scrupulus resideret*. Hoc autem est quod & Apostolus præcepit in Ordinatione Sacerdotis: *Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt*.

Interea Fidelium multitudine aucta Apostoli plures Episcopos constituerunt; Omnis enim electionum ratio innititur illa, quam dedit Apostolis Salvator Noster, facultate, ut alios eligerent, qui idem opus assumerent, & ut quemadmodum ipse, in Ecclesia semper manerent „ sicut misit me Pater, ita, & ego mitto vos „ Verum etsi in hisce electionibus nomen, & auctoritas Apostolorum maximopere emineant, nihilominus eruitur exoptata etiam fuisse ab eisdem vota, & Discipulorum testimonia. Etenim postquam obiit Iacobus Hierosolymæ Episcopus, cœteri Apostoli cum Discipulis congregati

con-

consuluere, ut ne diutius Ecclesia viduata permaneret, & consentientibus omnibus Simon Cleophæ Filius ad Episcopale munus obeundum dignior inter alios est habitus (a). Hinc deinceps eligendi formam ab exemplo Apostolorum acceptam vetustæ Ecclesiæ Patres religiose sunt amplexati, quæ in alicuius designatione, & consecratione versabatur.

Atque hæc duo usque ad hanc ætatem in Oriente, & usque ad quartum sæculum in Occidente coniungi solita sunt. Synodus autem habebatur in Ecclesia vacante, ne Clerus Populusque ab electionibus arceretur, imo & eisdem vel suffragari, vel repugnare possent. Eo Episcopi eius Provinciæ proximi se conferebant, & ut saltem tres secundum Canones in novi Episcopi consecratione interessent, opus erat. Etenim præter Canonem IV. Nicænum, Anacletus *epist.* 2. citata in Decreto *cap. final. dist.* 66. & Anicetus qui ambo Ecclesiam Sæculo primo gubernarunt (dummodo quæ in vulgus editæ sunt Pontificum Epistolæ ante Siricii tempora genuinæ sint) non modo tres Ordinatores præcipiunt, verum etiam Apostolos hæc tradidisse con-

(a) Eus. Hist. Eccl lib. 3. cap. XI.

firmant. An vero hoc ſit de Sacramenti, aut præcepti neceſſitate, quæſtio illuſtris exoritur. Verior tamen ſententia videtur poſſe, quamvis illicite, Epiſcopalem conſecrationem, & characterem citra diſpenſationem ab unico etiam Epiſcopo valide quidem ſuſcipi, atque conferri. Fidem facit Theodoretus lib. V. Hiſt. Eccl. cap. XXII. a ſolo Paulino Epiſcopo Evagrium Epiſcopum conſecratum, & nihilominus Innoc. Papa Epiſt. XXII. Bonifacio mandavit, ut qui ab Evagrio fuerant ordinati, cum ſuis gradibus, & honoribus reciperentur. Dionyſius item in Hierar. Eccleſ. deſcribens initiandi Epiſcopi ritum, unius dumtaxat meminit conſecrantis Epiſcopi. Præterea paucos tunc temporis adfuiſſe Eccleſiaſticis electionibus nemini dubium eſt, cum difficile ea tempeſtate foret, omnes ſimul Epiſcopos congregari, flagrantibus maxime nimis frequentibus perſecutionibus.

Illud autem nos magis ancipites reddit, quod haud tam facile a nobis decerni poteſt, quænam fuerit poteſtas & pondus prioribus hiſce Eccleſiaſticis electionibus, cum præſertim viri omnium doctiſſimi inter ſe diſſentiant, aliique Plebi, alii Clero, alii potius Epiſcopis Provincialibus

ma-

maiorem in electionibus auctoritatem impertiant.

Sed si diligenter animum advertamus ad eas ipsas veteres electiones, forsitan exempla inveniemus, ex quibus facillime constantior illarum norma patefieri possit. Colligitur itaque ex Eusebio lib. vi. cap. x quod post Narcissi fugam δόξαν τοῖς τῶν ὁμόρων Ἐκκλησιῶν προεστῶσιν alium eius loco Episcopum ordinare, & (a) Alexandrum electum fuisse, ut Narcisso Episcopo iam ætate confecto opem ferret, volentibus vicinarum Ecclesiarum Episcopis. Quapropter asserendum videtur Episcopos in electionibus populo, Cleroque multum præstitisse. At Episcopi postquam coiverant, merita & anteactam vitam eligendorum discutiebant, & quos reperissent maioribus virtutibus & scientia præditos, eisdem Episcopatum deferebant. Hoc diserte docent Cypriani verba Epist. 67. cum Sabini ordinationem commemorat; Idem etiam confirmatur ex illa Clementis Romani Epistola a veteribus tantopere commendata, & quam Petrus de Marca genuinam censet, his præcipue verbis: *ut Episcopi in demortuorum locum ab ipsis Apostolis vel postea a claris,*

(a) lib. vi. cap. xi.

& celebribus Viris ſubſtituantur. Iudicio itaque & delectu eorum, qui principem locum in Eccleſia tenent, Epiſcopi eligebantur.

Verum tanti intererat, ut Eccleſiis darentur Epiſcopi, qui grati, & accepti Fidelibus eſſent, ut futile & abſonum omnino videri non debeat, quod Viri omnium doctiſſimi ſenſerint de Cleri populique in Electionibus auctoritate. Etenim cum populus Clerusque ſæpius poſtularent, ut unus præ cœteris conſecraretur, & illorum ſtudio libenti animo Synodus indulgere vellet, in comperto etiam eſt, ideo populorum conſenſum & teſtimonium fuiſſe exquiſitum, ne invitis unquam obtruderetur Epiſcopus. Revera Plebs, aut Clerus aliquando Epiſcopum licet conſecratum ita reiecit, ut eius vice alius electus inveniatur. Itaque non alio pacto Cyprianus affirmat lib. 1. Epiſt. IV. electiones Epiſcoporum penes populum eſſe, quam quod eiuſdem ſtudia, & teſtimonia diligenter inquiri opus erat, a quo & Candidatorum virtutes, & vitia melius quam ab Epiſcopis cognoſcebantur. Epiſcopi tamen hæc populorum iudicia ad trutinam revocare poterant, illaque conſequenter refellere vel comprobare. Similiter etiam Apoſtoli multitudinem coegerunt, ne quis ad Altaris miniſterium vel

Sa-

Sacerdotalem locum indignus obreperet: Verum ex innumeris Scriptorum locis etiam hauritur quidquid de Populi testimonio, & consensu in electionum Christianarum ritibus asserebamus.

Colligitur ex Lampridio in vita Alexandri Severi, quod si quando aliquos Imperator voluisset Rectores Provinciis dare, eorum nomen *proponebat, hortans Populum, ut si quid haberent criminis probaret manifestis rebus, si non probasset pœnam subiret capitis, dicebatque grave esse si quod Christiani, & Iudæi facerent in prædicandis Sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieret in Provinciarum Rectoribus, quibus fortunæ Hominum committerentur, & capita:* In Pontificali Romano de Ord. Diac. p. 42. agitur etiam de eodem usu, sciscitandi nempe populum de moribus Ordinandorum, eiusdemque rei superest adhuc vestigium aliquod in Denunciationibus coram frequente Populo a Parochis inter Missarum solemnia factis, & in officio Archidiaconi, qui in ipsa Clerici ad maiores ordines promotione Episcopum de vita, & honestate ordinandi certiorem facit.

Sed ut ad ea pergamus quæ magis in his Ecclesiasticis electionibus populi con-

sen-

ſenſum neceſſarium evincunt, S. Leo Epiſ. ad Epiſc. Prov. Vien. ſic loquitur. *Per pacem, & quietem Sacerdotes qui futuri ſunt poſtulentur. Teneatur ſubſcriptio Clericorum, Honoratorum teſtimonium, Ordinis conſenſus & Plebis; Qui præfuturus eſt omnibus ab omnibus eligatur.* Cœleſtinus 1. Ep. 2. apud Grat. diſ. 61. Can. 13. *nullus invitis detur Epiſcopus*; Quapropter Divus Gregorius arbitratus eſt, ſe nequaquam conſecrare potuiſſe Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem, quamvis electum a Clericis, ni Cives pariter electioni opitularentur; Et in electione Gregorii Ariani ad Epiſcopatum Alexandriæ, ſcimus Iulium Pontificem Epiſtolam ad Alexandrinos miſiſſe, in qua habebatur non fuiſſe de veteri more immittendum Gregorium peregrinum & externum hominem, neque Plebi cognitum, neque poſtulatum a Presbyteris; (a) divuſque pariter Athanaſius de eodem Gregorio loquens in Epiſtola quadam ad *ſolitariam vitam agentes* vim Arianorum vehementer exagitat, quod Eccleſiæ mores everterint, & illum ignotum invito, & repugnanti Populo obtulerint. Et quamvis in Eccleſiaſtica Hiſtoria exempla

(a) μήτε γινωσκόμενον τοῖς πολλοῖς, μὴ αἰτηθέντα παρὰ τῶν πρεσβυτέρων.

pla identidem reperiamus, quibus patet Episcopos sibi successorem delegisse, quemadmodum Valerius Augustinum, & Augustinus Eradium designavit, attamen si nominationi huic Populi consensus deesset, nihil illa quidem existimabatur. (a)

Hac ipsa de causa prioribus Sæculis ea percrebuit opinio, ut populus aut Clerus alicuius Civitatis fidei incogniti Viri non satis tuto committeretur, nec ullus Advena gregem sibi creditum valide regere, & tutari posset. Qua de re Episcopi, paucis exceptis casibus, ex iis præcipue eligebantur Ecclesiis, quibus præficiendi erant, nec sine sui Episcopi consensu alieni Clerici ad Ordinationem provehebantur (b). Licitum quidem erat ignoto homini Baptismum exposcere, non Sacros Ordines; In priscis pariter electionibus animadvertitur, aliquos Ordinatos, qui honorem istum maximopere defugiebant, quemadmodum in electione Augustini, & Pauliniani Divi Hieronymi Fratris, atque Paulini Nolani Epi-

(a) Possidius vit. Aug. cap. 8. Conc. Antio. Can 23. *postmodum iussit Episcopo non licere pro se alterum Successorem sibi constituere, licet ad exitum vitae perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum sit.* Syno. Rom. sub. Hilar.

(b) Can. Sard. 19. & Can. 5. Carth 1. Cypr. epist. 68. Hier. epist. 85. Leo epist. 84. ad Anastasium,

Episcopi, rerum Ecclesiasticarum Scriptores accidisse profitentur. Verum ne quid a nobis prætermittatur, quod ad Populi auctoritatem magis magisque detegendam conferat, hæc etiam de Plebis Clerique postulatione tenenda censeo. Etenim ipsa in primis Ecclesiæ exordiis nihil iuris tribuebat, sed eius tantum ratio habebatur ab Episcopis, nisi ipsorum iudicio alius dignior præferendus esset; neque a veteribus Canonibus memorata unquam fuit Cleri Populique consultatio, veritis fortasse, ne ipsa contumaces redderet Civium animos Episcoporum iudicio, servata interim consuetudine perficiendi una cum Clero, Civibusque electionis negotium. Itaque quæ de consensu Populi leguntur, nequaquam nobis accipienda videntur tamquam si a vetustis regulis proficiscantur. Tali pacto facilius intelligitur Can. XIII. Con. Laodiceni, cuius in interpretatione longe aberravit a veritate Gratianus putans Canonis auctoritate vocem Populi in electionibus haud necessariam ostendi, quippe quod Gratiani ætate iam ab electionibus Laici Romæ exclusi fuerint; nec non illa quæ de Episcoporum præcipua potestate statuimus, etiam atque etiam confirmantur.

Ad

Ad ea quæ iam antea diximus addi potest quod & ex Canonibus qui Apostolici nuncupantur, maximam fuisse arguitur Episcoporum in hac re potestatem. Præterquamquod Divus Hieronymus (a) testatur præcipuam eligendi auctoritatem penes Alexandriæ Presbyteros inesse, quæ tamen verba intelligi possunt de Episcoporum potestate, cum indifferentem illam Presbyteri, & Episcopi denominationem non solum teneat D. Hieronymus, verum etiam Chrysostomus, & Theodoretus, freti, ut arbitror, hisce Apostoli verbis: *Omnibus Sanctis qui sunt Philippis cum Episcopis, & Diaconibus*, & in cap. 1. Epis. ad Titum *Huius rei gratia reliqui te Cretæ ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros sicut & ego disposui tibi*. Insuper cum veteres Ecclesiæ Patres, Epiphanius, Hieronymus, & Irenæus aperte declarent Apostolos in singulis Ecclesiis, Episcopos qui eas regerent constituisse, quid aliud hi sibi in animum inducere poterant, quam quod Episcopi, si de electionibus ageretur, Principem locum iure meritoque obtinerent? Quæ cum ita sint, palam est quoad inferiores Ordines maiorem Episco-

po-

(a) Epist. 85. ad Evagr.

porum poteſtatem extitiſſe, quamvis primis Eccleſiæ ſæculis minores Ordines Sacris Ordinibus non ſemper præmiſſi fuerint, nec quiſquam minus canonice ordinatus putaretur, qui aliis minoribus Ordinibus ſimul fere receptis ad Diaconatum, altioreſque Ordines promovebatur. Etenim prout plus minuſve Epiſcopi iudicarent Ordinandum meritis, & virtutibus refertum, citius illum maioribus Ordinibus decoratum alicui Eccleſiæ, ut moris erat, eo tempore, adſcribebant, ubi ſuſcepti Ordinis munera obiret.

Iſti quidem minores Ordines inconſulto Clero Populoque minime conferebantur. Supra laudatus Cyprianus hoc idem docet lib. 2. Epiſ. 5. legem proferens, quam ſibi ipſe præſcripſerat neminem ordinandi præter Populi Clerique conſcientiam. Hoc igitur Epiſcopi officium erat ut eligeret, nominaret, ordinaret Eccleſiæ ſuæ Clericos; ſed cum unus ipſe reſcire non poſſet, qui ſingulorum mores eſſent, & alia ex parte iuxta Apoſtolicam Diſciplinam a Canonibus roboratam *probatæ converſationis* viros conſecrare deberet, Cleri Populique teſtimonio uti cogebatur. Probatur & hoc ex Anacleto Epiſ. 30 ubi ait, *Presbyteri per Caſtella, & modicas Civitates ac Villas*

di-

debent ab Episcopis ordinari, & poni; & ex Zephyrino epist. 2. ad Ægyptiæ Provinciæ Epscopos his verbis; *Ordinationes Presbyterorum, & Levitarum, tempore congruo & multis coram adstantibus solemniter agite, & probabiles, & doctos viros ad hoc opus provehite, ut de eorum societate, & adiumento plurimum gaudeatis.* Si vero spectata plane, & conspicua cuiusquam pietas foret, additur ab eodem Cypriano, tunc opus omnino testimoniis non fuisse; *Expectanda enim non sunt humana testimonia cum præcedunt Divina suffragia.*

Utrum vero nascente Ecclesia nullum interesset discrimen inter Laicos, & Clericos, veluti placet Petro de Marca, nihil moror; quamvis assentiar magis Iosepho Binghamo, qui lib. 1. cap. 5. antiq. Eccl. distinctionem contra Rigaltium, Salmasium, & Seldenum summa, ut arbitror, doctrinæ ubertate demonstrat. Verumtamen apud omnes receptum est, plusculum momenti fuisse in suffragio Cleri, quam Populi testimonio, ideoque Presbyteros primas inter minores Clericos obtinentes plurimum potuisse, ac maximo in honore esse habitos, idcirco præsertim quod iis cum Episcopo sedere in Thronis liceret, & quod commu-

nem,

nem, ut alibi innuimus, nominis, & quorumdem aliorum munerum prærogativam una cum Episcopis ipsis aliquando retinerent. Neque inficias ire possumus quominus Ecclesiæ primitus erectæ ab Apostolis communi Presbyterorum consilio regerentur, maxime cum non omnibus Episcopi essent adhuc præpositi. (a) Hinc factum est, ut plures acerrime contenderint æqualem fuisse Episcoporum, & Presbyterorum Ordinem, ac dignitatem. Si tamen hac de re dicere ausim quod sentio, attendenda sunt Ignatii, Hieronymi, Clementis Alexandrini, Origenis, ac Tertulliani testimonia, quæ contrarium prorsus ostendunt, magis quam ea scholasticorum distinctio Ordinum interest Iurisdictionem, inaudita veteribus, penes quos *Ordo*, *gradus*, *Officium* inter se minime discrepant.

Quomodocumque se res habeat, sicuti procedentibus Ecclesiæ Sæculis quo magis Ecclesia amplificabatur, Populorum iura, Clerique vota labefactari cœperunt, videtur idcirco quodammodo dici posse suis parvis principiis magis idoneam, accomodatamque fuisse perfectissimam omnium æqua-

(a) D. Hier. Ep. ad Titum; & epist. 83. Basil. epist. 3. & Cypr. epist. 10. lib. 1. & epist. 7. lib. 2.

qualitatem, & comunionem; Namque usuvenire solet, ut quilibet cœtus ea primum componat, quæ maxime ad conservationem sui sunt necessaria, quo inprimis spectat Ministrorum constitutio, per quos cœtus dirigatur. Etenim inficiari certe non possumus quod longo temporis intervallo Populus non solum Episcoporum electionibus præsens fuerit, verum etiam aliquando Episcopos sibi delegerit; Optatus enim verba faciens de Cæciliano Carthaginensi Episcopo totius Populi suffragio electum fuisse refert; similiter, & Alexandriæ Populus Athanasium sibi petiit ab Episcopis ordinari, unde idem de semetipso loquens ait, si crimen aliquod perpetrasset, & depositione puniendum Synodus eumdem putaret, necesse tamen fuisse iuxta Apostolicas constitutiones ad Populum Clerumque appellare, qui successorem pro Athanasio sibimetipsis dare paterentur. Qua de re quamvis rear, ut iam superius exposui, quod in Ecclesiasticis electionibus conventus Episcoporum Populum, Clerumque antecelleret, nihilominus permulta veterum electionum exempla, præter sapientissimorum hominum, & Cypriani auctoritatem, quam nimis frangere, & infirmare vellent

viri cœteroquin doctissimi Thomassinus, ac Petrus de Marca, fateri me cogunt, Populum aut omnino quandoque elegisse, aut valide quidem electiones comprobasse. Nam ut demonstratur in notis, quas Severinus Binius confecit ad primorum Pontificum vitas, quæ habentur in 1. tomo Labbei Con. Gen., Fabianus in Pontificia Sede uno animorum (a) omnium consensu collocatur; ipsi autem, Deo volente, Clero, & Plebe approbante, Cornelius substituitur, & tandem Lucius Papa unanimi omnium voto eidem Cornelio succedit.

Utrum vero hæc Populi potestas iure quodammodo proprio, an conniventia, vel concessione Episcoporum niteretur, uti Isaacus Habertus, Sixtus Senensis, & Bellarminus nimis forsitan Pontificiæ auctoritatis studiosus affirmant, non magnopere laboro. Exploratum tamen est hanc Populi potestatem alicubi gentium eo perductam fuisse, ut Cœlestinus in *Epist. ad Episc. Apuliæ, & Calabriæ* monuerit, quod in electionibus *Populus non sequendus, sed docendus erat.* Etenim Populorum testimonia non indubia semper esse poterant, quinimo aliquoties incerta, fluctuantia, scissa, ne

(a) Eus. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 29.

ne dicam etiam corrupta: Et revera invenitur Episcopos semper potestatem habuisse illa examinandi, diiudicandi, probandi, improbandique, atque alia ex aliis revincendi.

Quapropter perlectis veteribus Scriptoribus qui rem diligenter sunt perscrutati, hæccine ut veritati magis consentanea de electionibus a nobis proponuntur. Penes Episcopos præcipuam prioribus Sæculis potestatem extitisse, adeo ut ipsi sæpe elegerint, & omnia secundum Canones disposuerint; Quod si aliquando Plebs aut Clerus sponte sua Episcopos nominaverint, ut electioni semper consentirent Episcopi necesse erat. Cum vero Populus aut Clerus totam relinquerent Episcopis eligendi facultatem, Episcopi pariter consuetudini semper adhæserunt Populum sciscitandi; & cum deinceps Populorum Clerique consensus & testimonium in electionibus Episcopi, auctoritate Canonum fulciretur, omnis ab Episcopis diligentia adhibita fuit, ut non solum consensus a Clero Populoque præberetur, verum etiam ut Episcopus gratus eisdem foret, & charus. Res vero sapienter excogitata fuit, cum Populus de virtutibus hominum, & vitiis æquum

iudicium frequenter ferre ex Romana ſimul & Eccleſiaſtica Hiſtoria videatur.

Atque hæc noſtra de iis Eccleſiaſticis electionibus opinio, quæ & eadem eſt Hugonis Grotii, *(a)* cum naturali ratione valde congruere perlate patet. Par namque erat, ut imperitior multitudo Epiſcopis ſanctimonia, doctrinaque probatiſſimis plerumque obſequeretur, aliquando vero moribus ingenioque eligendorum propius ac liberius inſpectis, ab ipſorum voluntate diſcederet, atque ita ſuffragium utrique cum ſolidiore Eccleſiæ utilitate metitentur.

Quod autem ex hac, quæcumque demum ea fuerit, Populi auctoritate manaverit Regius conſenſus, extra omnem dubitationis aleam videtur eſſe. Nam cum in Perſona Principis eminenter inſit omnis Imperii dignitas, & Popularis poteſtas, ideo quæ propria ſunt Civitatis, in ipſo pariter ineſſe debent. Huc accedit, quod ius, quo ſemper potitus eſt ſummus Imperans, interdicendi Concionibus ſe irrequiſito habitis, ac tutela omnium ſuæ ipſius ditionis Eccleſiarum, proindeque neceſſitas abſterrendi ſuſpectos homines a gravioribus dignitatibus id efficere manifeſte debuerunt, ut

(a) De Imper. ſumm. poteſt. circa ſacra cap. 10.

ut nequaquam Episcopi inscio Principe, ut inferius videbimus, renunciarentur, renunciatique eiusdem assensum exposcerent.

Reliquum est ut nonnulla quæ ad electionem proxime accedunt, & pauca quædam de Metropolitanis coronidis loco attingamus. Ac primo Episcopus minor triginta annis ab ordinatione prohibebatur. Ita Concilium Neocæ. can. 11. & Agath. can. 17. qui ait: *Presbyterum vel Episcopum ante triginta annos, idest antequam ad viri perfecti ætatem perveniat nullus Metropolitanorum ordinare præsumat*. Auctor Constitutionum Apostolicarum (Græcus quidem Scriptor, qui ritus sæculi tertii enarrare creditur) ait, *oportere eum qui Pastor est, & Episcopus, esse non minorem natu quam annorum quinquaginta*. Attamen constat valde iuvenes etiam nonnullos, necessitate vel utilitate postulante fuisse ordinatos, uti Timotheum Paulus, Gregorium Thaumaturgum, eiusque Fratrem ἔτι νέω ἄμφω aliosque memorat (*a*) Ambrosius, & (*b*) Socrates. Certum autem est nullam eiusmodi regulam in sacris literis fuisse præscriptam. Secundo in fidem, mores, sta-

 tum-

(*a*) Ambr. epist. 55 ad Anysium.
(*b*) Socrat. lib. 2. cap. 6.

tumque, & conditionem Ordinandorum diligentissime inquirebatur. Videndus Origenes lib. 8 ubi docet magnam adhiberi solitam diligentiam, ut qui primi inter Christianos essent, ad regimen animarum adsciscerentur. Diacono item proclamante, omnibus obiiciendi Ordinandorum crimina patebat aditus, quod & antiquiores Ecclesiæ Rituales demonstrant. Quocirca excludebantur Apostatæ vel (a) ob timorem lapsi, (b) publici pœnitentes, Baptisma Clinicorum sequti, sacrarum Scripturarum (c) imperiti, & in Ecclesiasticis functionibus inexercitati; homicidæ, adulteri, (d) digami, quique sibi dedita opera virilia amputarunt &c. Veniunt præterea hic loci, habita ratione generis, & instituti quod cum officiis Clericorum cohærere non posset atque consistere, ii qui militiæ nomen dedere, servi, vel liberti absque Domini venia, Opifices a Republica conducti, Curiales, Procuratores, Causidici, nec non Energumeni, Scenici, Comædi, aliique nonnulli. Tertio Episcoporum delectus haben-

(a) Athan. epist. ad Rufinian. Orig contra Celsum lib. 3.

(b) Con. Arel. II. Can. 25. & Con. Tol. I. can 2.

(c) Conc. Nic. Can. 10.

(d) Leo. epist. 87. ad Episc. Aff. per Maurit. Caesar. constitutos.

bendus erat (a) ex ea Ecclesia, ut iam diximus, cui præesse debebant, propterea quod hospites & peregrini ad summum Episcopatus fastigium minime admittebantur, nisi forte inter Ecclesiæ Cives de quòpiam suæ ipsorum Diœceseos non conveniret; tunc enim ad compescendos animorum æstus atque dissidia quemdam ex altera Ecclesia arcessebant, sicuti Ecclesia Constantinopolitana Nectarium, (b) Chrysostomum, Nestoriumque hoc innixa fundamento Episcopos designavit. Quarto operæ prætium erat, ut επ᾽ αυτης τής Εκκλήσιας, in suæ ipsorum Ecclesiæ gremio χειροτονία precibus, ieiunioque præpositis perficeretur, atque ad honorem istum per inferiores quosdam, si non omnes (c) Ecclesiasticos Ordines gradus fieret. Interdum necessitate, vel extraordinario casu aliquo postulante, ex inferioribus Ordinibus, ac etiam ex Laicis Episcopi creati sunt. Augustinus ep. 261. ad Coeles. Meminit cuiusdam Antonii ado-

 le-

(a) Hilarius Papa epist. 1. ad Ascan. Tarracon. Cœlestinus epist. 2. ad Episc Narbo Cypr. epist. 68. ad Fratres Hisp. Capit. Caroli, & Ludov. lib. 1. c. 18. quamvis animadvertente Stephano Baluzio lex ista non ad omnes Diœceses se extendebat,

(b Ambr. Epist. 82. ad Eccl. Vercells

(c Sozomenus lib. 8. cap. 2.

(d) Con. Sard. Can. 10. Greg. Nazian. Orat. 20. in laudem Basil.

lescentis, qui solo Lectoris officio functus Episcopatum promeruit. Vulgata nimis sunt quam ut memoria repeti oporteat, præclarissima exempla (a) Cypriani adhuc Neophyti; nec non Ambrosii Mediolanensis Antistis mystica, scilicet candida nuper induti Clamyde, qua recens baptizati uti consueverant. Quinto ad legitimam cuiusvis Ordinationem tres saltem requirebantur Episcopi addita Metropolitani licentia, quemadmodum omnes, ad Metropolitanos inaugurandos erant necessarii, Missis Apostolis, seu literis ab absentibus iusto impedimento distractis. Verum hic animadverti debet, quod tribus prioribus Ecclesiæ sæculis Episcopi consecrabant, cum nondum à Canonibus Metropolitanorum in Episcopos auctoritas, ut in quarto sæculo factum fuit, sancita foret. Sexto Pagius in Baronium an. 67. quolibet hebdomadis die ante Constantini tempora indiscriminatim confectas esse ordinationes adversus Danielem Papebrochium invictissime comprobavit; quamvis in posterum non passim, sed Dominica die celebrarentur, adserente Leone Pontifice epis. 89. ad Epis. Prov. Vienn. his verbis: *Quod Episcopus non sibi constare status sui*

(a) Pontius in vita Cypr. Paulinus in vita Ambr.

sui noverit firmitatem qui non die sabbati, vespere quod lucessit in primam sabbati, vel ipsa dominica die fuerit ordinatus. Septimo tandem sedes Episcopales, quo citius fieri poterat; Pastore donabantur, si tempora illa calamitosa ac difficillima excipias, quibus ob ingruentis debacchantisque Tyrannidis tempestates id concessum non erat, ut Carthaginensis Episcopatus (*a*) sub Ariana persecutione testatur. Generatim Africanæ Ecclesiæ Can. 8. Cart. can. 5. iubebantur intra annum electionem peragere; dein Calch. Conc. Can. 25. tres dumtaxat menses (*b*) ad novam Ordinationem præfinivit; cuius quidem discriminis probabilis ratio reddi potest; quod difficiliores essent in Occidente electiones propter non mediocrem populi intercessionem, cum in Oriente multo minus illi tribueretur auctoritatis, ideoque facilius Episcopis foret discrepantiam omnem, litesque componere, atque universum negocium trimestri spatio expedire.

Age vero quæ de Metropolitanorum iure polliciti fuimus breviter exponamus. At-

(*a*) S. Victor. Uticensis de Pers. Vand. lib 2.

(*b*) Ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ ἐντὸς τριῶν μηνῶν γίνεσθαι τὰς χειροτονίας τῶν ἐπισκόπων.

Atque quod ad eorum originem attinet; neminem latet in varias abiisse sententias homines eruditissimos. Usserius, (a) Beveregius, Hammondus illam ab Apostolis traditam colligunt ex Eusebio lib. 3. cap. 4. & Crys. hom. 1. in Tit; Alii autem, uti Petrus de Marca lib 6. cap. 1. & Gulielmus Caveus non multo post Apostolica tempora ortam confirmatamque fuisse coniiciunt. Sed in hac opinionum varietate illud ambigi nequit, quod diu ante Concilium Nicænum extiterint, cum idem Can. 6. de metrop. verba faciens vetustam præseferat consuetudinem: τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατεῖτω τὰ ἐν Αἰγύπτω, καὶ Λιβοῃ, καὶ Πενταπόλει &c. Et re quidem vera Irenæus Lugdunensis Episcopus Parœciis Galliæ præfuisse fertur eiusdem Eusebii testimonio, lib. 5. cap. 23. τῶν κατὰ Γαλλίαν παροιχιῶν, ἂς Ειρηναῖος ἐπισκόπει.

Maxima vero horum potestas erat, nominisque celebritas. Ipsis (b) enim incumbebat dirigere Episcoporum Provincialium electiones, eosque vel ordinare, vel ordinandos committere: Nullum Episcopum ipsis non approbantibus eligi vel ordinari decebat: Alterum

(a) De orig. Epis. & Metrop.
(b) Can. Nic. 4. Anti. 19. & Sard. Can. 6.

ſum officium erat controverſias (*a*) inter Epiſcopos ſubortas dirimere. An vero ſola Auctoritate ſua Epiſcopo alicui officium abrogare potuerint, de hoc valde quidem dubitatur. Spalat. de Rep. Eccl. part. 1. lib. 3. exempla non veretur adferre Epiſcoporum qui a Metropolitanis, ſuis muneribus orbati fuere. Sed utrum res ita ſe habeat, an ſecus, non multum refert, cum vi Legis Iuſtinianeæ. Canonumque, a Metropolitano ad Provincialem Synodum provocare liceret. Ad eumdem ſimiliter ſpectabat Synodos Provinciales indicere, ad quas omnes Epiſcopos ſuffraganeos ſe conferre oportebat, quarum quædam congregabantur nullo temporis ordine ſervato, ſed prout occaſio ferret, pro peragendis nempe Epiſcoporum Ordinationibus; aliæ autem ex Canonum decretis bis aut ſemel (*b*) in anno ſtatutæ, & in iis Eccleſiæ cauſæ, liteſque civiles ac criminales Cleri iudicabantur, & Provinciæ Regimen curabatur.

Leges inſuper, & Canones Imperiales, Metropolitani promulgabant; (*c*) emenda-

(*a*) Con. Sard. Can. 14 Con. Milev. Can. 21.
(*b*) Can. Apoſ. 27. Con. Antio. Can. 20.
(*c*) Iuſtin. Novell. 6. epilog. Novell. 42. Epilog.

dabant abusus, vacantisque Sedis intra Provinciam curam agebant, nec Episcopos peregre abire (a) sine ipsorum literis patiebantur.

Cœterum circumscripta & ipsa Metropolitanorum potestas erat, adeout sine Episcoporum consilio, tantummodo quod ad proprias Ecclesias pertinebat, expedire possent. Quidquid autem Comprovincialium Episcoporum causas aut quascumque alias respiceret, Provincialium Pontificum consensu, iuxta Epistolam Lucio Pontifici adscriptam, agi absque ullo dominationis fastu, sed concordi, & humillima administratione debebat; Quod si Metropolitanus id facere renuisset, Episcoposque nimis gravaret, Anicetus epis. 1. ad Galliæ Pontifices iubet, ut ab omnibus districte corrigatur, & si pertinax in eo fuerit, ad Apostolicam Sedem, per quam omnia Episcoporum iudicia finiri præceptum est, eius contumacia referatur; Quæ quidem fortasse verba, ut obiter animadverti potest, in suspicionem huius Pontificiæ Epistolæ Criticos induxerunt. Denique Metropolitanus nemini silentium indicere, nec Synodum nisi de consilio, assensuque Episcoporum dis-

(a) Con. Carth. 3. Can. 28. Greg. Mag. lib. 7. Epist. 8.

diſſolvere poterat, ſicuti contra ipſiuſmet erat proprium iubere, ut aliqua ſcriptio, libellusve legeretur, vel potius reiiceretur.

Hactenus de electionibus quæ ſuperioribus tribus Eccleſiæ ſæculis viguerunt. Nunc priuſquam ad alia progrediar, Lectores meos oro obteſtorque, ut hic non graventur, quandoquidem firmam ſtabilemque eligendi regulam ſubtiliore diſputatione evincere conatus non ſim. Enim vero magis veritati conſultum iri putavi, ſi fluxam variabilemque veteris illius memoriæ normam rationemque perſequerer nulli opinioni, aut ſyſtemati ſedulo inſerviens, veluti eruditus Blondellus qui Populum abſolutam immutabilemque habuiſſe eligendi facultatem aſſeverare non dubitat, ideoque iuſta reprehenſione non caret.

Itaque procedente tempore quid Populus, Proceres, Epiſcopi, Imperatores in Oriente potuerint videamus. Quare pro certo habendum, populi quidem valde imminutam, at non omnino extinctam poteſtatem fuiſſe. Perſpicuum in primis eſt Ni-

Nicænos Patres hac in re nihil immutaſſe, quamvis Can. 4. definiatur quod *Ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑνὸ πάντον τῶν ἐν τῆ ἐπαρχία καθίσθασθαι*; Eo quippe Populus non excluditur, ſed iura Metropolitica, & Epiſcopalia contra Meletium Schiſmaticum vindicantur. Et hoc modo Athanaſium poſt exactum Concilium Nicænum electum fuiſſe ab eo deducitur, quod Euſebiani creationem Athanaſii irritam fieri cupientes, defectum popularis electionis obiiciebant; contra vero Epiſcopi Ægyptii epiſ. Synod. Conc. Alex. ap. Athan. aſſerebant cunctis populi ſuffragiis Athanaſium fuiſſe expetitum. Simili de cauſa Nazianz. Orat. 21. de ipſo loquens ait, *ψήφω τοῦ λαοῦ παντὸς ἐπί τὸν Μάρκου θρὸνον ἀνάγεται*, & Orat. 14. ita refert proclamatum Baſilium quamvis non ſine Populi ſeditione. Teſtatur itidem Theod. lib. 4. cap. 20. *Lucium Arianum non Epiſcoporum Orthodoxorum Synodo electum fuiſſe, non Clericorum ſuffragio, non petitione populorum, ut Eccleſiæ Leges præcipiunt.* Quin imo crebro vim Populus inferebat, ipſiuſque furori Epiſcopi morem gerebant, donec a pietate licet immoderata proficiſci compertum fuit, adeout validæ, & Cano-

nonicæ eiusmodi haberentur Ordinationes. (a)

Postquam vero ea vi fraudulenter, & malitiose abuti cœperunt, cautum exinde fuit nequid simile deinceps susciperent, & ut quodcumque ausi essent pro infecto haberetur. Verosimile est huc respexisse Synodum Laodicenam Can 13. Μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τας ἐκλογας ποιεῖσθαι τῶν μελλοντῶν καθίςτασθαι εἰς ἱερατεῖον. Moderari nempe illa voluit, ut ponderarentur potius suffragia, quam numerarentur, coercendo, non penitus exturbando ab eligendi Provincia τὰς ὄχλας, sive Plebeculam, ut ex Dionysiana versione interpretatur Petrus de Marca (b). Qua de causa Gregorius ep. 22. sese electioni assensurum profitetur, dummodo unanimes omnes consentiant, secus vero, si ea fiat per cognationes, & sodalitia, vel acerrimos dimicatus. Ac Maiorianus Leoque Imperatores irritas declararunt Ordinationes, ubi per Parentum colludia Filii ordinati fuissent inviti, *illo suæ reddito voluntati, qui coactus non potuit consecrari*.

Fatendum tamen est Græcis tandem pla-

(a Nazian Orat. 19.
(b) De Concor, lib. 8. cap. 6.

placitum , ut a solis Comprovincialibus Episcopi deligerentur. Ita visum Patribus Nicænæ Synodi 2. Can. 3. qui tamen ne novæ huius institutionis auctores esse viderentur, inopportune prorsus originem desumpsere a supra laudato Can. 4. Synodi Nicænæ 1. Hinc orta est Zonaræ, Balsamonis, & Mathæi Blastaris hallucinatio, qui medii ævi Canones interpretati ætatis suæ præiudicium, & usum præ oculis habuerunt. Cum enim Populo tunc nihil loci in Episcopalibus electionibus relinqueretur, hinc augurati sunt eam illi abrogatam fuisse eo Nicæno Canone potestatem. Idque eo facilius ipsis persuasum fuit, quod χειροτονία tum Ordinationem, tum electionem significet, (*a*) quidquid contra sentiat doctissimus Marca (*b*) fretus auctoritate Frontonis Ducæi in notis ad Chrysostomi opera. Porro tractus hic mos per χειροτονίαν consensum, & concors Populi suffragium declarandi, ab Atheniensibus, qui Magistratus creabant vel *per sortem* qui inde dicti κληρωτοὶ, vel *per electionem* qui αἱρετοὶ, vel *per manus porrectionem*, χειροτονητοὶ vocati, quas Populus universus legitime

(*a*) Thomass. de ant. Eccl. dis. Par. 2, lib. 2, cap. 1.
(*b*) Concor. lib. 6, cap. 2.

time convocatus ſuffragio, & acclamatione deſignabat.

Ex his omnibus emergit, vel poſt Concilium Nicænum aliquas fuiſſe Populi partes in electionibus, dummodo ne quid gravius impedimento eſſet, ut ecce, ſi pro longe diſſitis, barbariſque regionibus Epiſcopi ordinarentur ex Concilii Calched. præſcripto Can. 28. quemadmodum de Athanaſio Frumentio Indorum Epiſcopo Hiſtorici referunt; (*a*) ſi quis iam *σχολαζούσης Ἐκκλησίας*, vel ut Canones loquuntur, *ἐπισκόπων σχολαζόντων* ſedem quomodocumque abſque Synodi Provincialis conceſſu acciperet, vel ab una in aliam commigraret Parœciam; (*b*) ſi demum, ut alia cœtera miſſa faciamus, maxima Eccleſiæ pars in hæreſim lapſa eſſet; enimvero tum temporis, ex. gr. Donatiſtarum, & Arianorum Schiſmate longe lateque diffuſo, ſi communi Plebis ſuffragio electiones eſſent peractæ, nonniſi Hæretici, ſeu Schiſmatici Epiſcopi debuerant ordinari. Sic Petilianum Alypio Epiſcopo Catholico exprobaſſe legimus, (*c*) quod Epiſcopi multis in locis ſine Populo creati fuiſſent.

(*a*) Ruffinus lib. 1. cap. 9. Theod. lib. 1. cap. 28.
(*b*) Con. Cart. 5. Can. 8. Antioch. Can. 16. 21. Sard. Can. 2.
(*c*) Collat. Carth. C. 122.

Nec plura, ut arbitror, congerenda ſunt argumenta, ut intelligatur non parum momenti ad electiones Epiſcopales in Populi ſuffragiis fuiſſe, multoque etiam plus in favore Honoratorum, atque Nobilium, quos generis fama, & dignitatis ſplendor extolleret, nec non Cleri, ac Presbyterorum, maxime in Civitatibus, quæ maiori celebritate gauderent. Augebatur enim quotidie numerus Clericorum, & cum numero authoritas, cum ab initio ſolus pene Populus in tanta Clericorum paucitate emineret.

Cæterum eo quamcitiſſime ventum eſt, ut Populi libertas arctis valde limitibus concluderetur, ac poſtmodum tota ad Epiſcopos, Synodumque Metropoliticam devolveretur auctoritas. Quod ad primum attinet, aliæ leges Populum Clericoſque ad unum ex tribus, quos Epiſcopi in comitiis prius nominaſſent, eligendum quandoque impellebant; (a) aliæ vero (b) iubebant, ut Clerus, & Populus tres nominaret, ac Metropolitanus, & Epiſcopi Provinciales quem vellent pro lubitu eligerent. Quod ad alterum a nobis propo-
ſitum

(a) Con. Arelat. 2. Can. 54.
(b) Con. Barcin. Can. 3.

ſitum, uſurpata a Græcis Epiſcopis conſuetudine ad ſe avocandi totum ius Electionum, Clero Populoque neglectis, huic gravi incommodo Iuſtinianus ex veteri more mederi conſtituit, ac lege condita λαμπρότατυς, ſeu πρώτυς τὴς πόλεως ita vocavit, ut totius Populi vicem gererent (a). Sed quid? tantum abfuit, ut Iuſtinianea Conſtitutio executioni mandaretur, ut potius tam in Oriente, quam Occidente oppoſitum vicerit; Quod alias in cauſa fuit, ut Græci ſubinde Imperatores ad ſe ius Metropolitanorum pertraxerint.

Iam vero cum Populo, Honoratioribus, & Magiſtratibus nonnihil in electionibus pro variis circumſtantiis tribueretur, non potuit non & ſummis Principibus plurimum tribui. Ecquid eſt cur inſolens novumque videatur, ſi Principi quandoque eligenti libentiſſime Populus accomodaret? Ecquis ignorat quam ſæpe id neceſſarium fuerit, atque expetitum, ut perturbationibus, tumultibuſque ſublatis, Eccleſiæ pax, ac ſecuritas reſtitueretur? Verum cum mihi animus ſit nihil, niſi ex Conciliorum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ teſtimoniis exem-

(a) Nov. 123. & 137. L. omnem 42. Cod. de Epiſc. & Cler.

plisque depromere, idcirco iis è fontibus hauriam quæ ibi extant documenta Imperatoriæ poteſtatis in electiones, nominationesve Epiſcoporum. Quamobrem Conſtantinus ad ſeditiones potiſſimum cohibendas ſuam in electionibus interpoſuit auctoritatem, cœteriſque exemplo fuit, ut ipſum poſtea imitarentur (*a*). Conſtantinus revera eius filius imperavit, ut Euſebius, & Macedonius Conſtantinopolitanæ Sedi præeſſent. Anaſtaſius Euphemio Patriarcha depoſito Macedonium, Scevophylacem, atque exinde Timotheum ſuffecit. Scripſit Synodus Epiſcoporum, nec non ipſe Epiphanius ad Hormiſdam Pontificem, ſe unanimi omnium conſenſione electum, approbatumque ab Imperatore, & Imperatrice, magnatibus, & Epiſcopis (*b*). Quinimo ſi fides habenda Sozomeno, (*c*) qui rem accuratius quam Socrates expendit, nemo non videt quantum prærogativæ ſolus ſibi uſurpaverit in electione Nectarii Magnus Theodoſius enixe commendatus a Nazianzeno, qui non minus ſtudioſe (*d*) gra-

(*a*) Euſeb. vita conſt. lib. 3. cap. 60. & ſeq.
(*b*) Poſt. Epiſt. 70. 71.
(*c*) Lib. 5. cap. 8.
(*d*) Lib. 6. Epiſt. 6.

gratulatus est Imperatori Mauritio ob electionem bene sapienterque habitam Patriarchæ Cyriaci; Ac probabile quidem est exemplum hoc Nectarii nominandi desumptum fuisse a Valentiniano, qui Mediolanensis Ecclesiæ sinum lacerantibus dissentionibus præsto fuerat, eam non immerito partem sequutus, quæ Divino pene Ambrosio suffragaretur (*a*).

Mentionem quoque facit Socrates lib. 7. cap. 29. & 40. Theodosii Iunioris, qui Nestorium nominavit *διὰ τὺς χενοσπȣδιστας*, eademque de causa, ubi Maximianus Episcopus diem supremum obiisset, ne rursus acres susciperentur inimicitiæ, concertationesque exardescerent, mandavit Episcopis, ut Proclum in Episcopali solio collocarent. Quod sane laudi vertit Socrates (*b*) Theodosio, & Cyrillus maximis eum præconiis in Cœlum extollens Conc. Eph. part. 3. Can. 18. ait. *Hoc rursum illustre pii Regis munus est prævio cælesti suffragio*. Quid quod Arcadius Chrysostomo, Iustinus Paulo Byzantino Presbytero adstipulatus est? Tot, tantisque Ecclesiastica Historia referta est huiusmodi monu-

 men-

(*a*) Socr. lib. 4. cap. 25. Theod, lib. 4. cap. 6.
(*b*) Lib. 7. cap. 39. 40.

numentis, ut ab iis ſingillatim enumerandis merito ſuperſedeam. Illud hic adnotaſſe ſufficiat, tanti habitam eam dignitatem, ut cum plures Provinciæ in Sarracenorum poteſtatem veniſſent, idem ius confirmandi Patriarchas integrum ſibi, narrante Theophane, ſervare voluerint Principes Saraceni.

Venio nunc ad Epiſcopales electiones Eccleſiæ Latinæ, in qua quidem certe penes Epiſcopos Regeſque ſumma poteſtatis fuit uſque ad ann. 750. Ita ſanxit in Gallia Con. Aurelian. 2. Can. 1. *Nullus Epiſcoporum admonente Metropolitano ad ordinationem Conſacerdotis venire detrectet*. At electionem contineri voce ordinationis aperitur ex Can. 7. eiuſdem Concilii, ubi palam eſt tot Epiſcoporum cœtum ad electionem, magis quam ad ordinationem deſideratum. Superaddita eſt ab Aurelianenſi Conc. 5. Can. 10. & 11. Regii conſenſus, aut permiſſionis neceſſitas: *nulli Epiſcopatum proemiis, aut comparatione liceat adipiſci. Sed cum voluntate Regis iuxta electionem Cleri, ac Plebis, ſicut in antiquis Canonibus tenetur ſcriptum, a Metropolitano, vel quem in vice ſua præmiſerit, cum comprovincialibus Pontifex conſecretur*.

At

At cum Regum permiſſio in præceptum facile deſciſceret, Concilium Pariſienſe 3. irritas, nullaſque pronunciavit electiones omnes, quæ ſola Principis authoritate, nullo Cleri interveniente, populique conſenſu, terminarentur. Confirmatum eſt hoc Statutum in Conc. Pariſ. 5. Regio Clotarii 2. Diplomate, huiuſmodi tamen clauſula, qua electionum poteſtas in Regem tota denique refundebatur. Integrum enim ipſi erat, quem Epiſcopi, Clerus Populuſque elegerant, confirmare, aut ex Aula mittere Epiſcopos ad vacantes Eccleſias, data Metropolitano, & provincialibus facultate eius examinandi, qui in album Eccleſiaſticæ Hierarchiæ fuerat cooptatus.

In Concilio Rhemenſi ann. 630. innovata antiquiſſima electionum libertate, Dagobertus I. Theſaurarium ſuum Deſiderium miſit, ut Cadurcenſis Epiſcopus crearetur, utpote quem Abbates, Clerus, populuſque eius Civitatis poſtulaviſſent *(a)*. Nec minus obviam ivit Clotarii Diplomati Conc. Cabilonenſe ſub Chlodovæo 2. Can. 10. Quamobrem non infrequens fuit

 illud

(a) Acta hæc ipſa publicavit doctiſſimus Baluzius in pulcherrima Editione Capitularium.

illud quasi medium temperamentum, ut ab Episcopis, & Populo is probaretur, quem Rex nominasset. Iussit Theodoricus Sanctum Quintianum in Arverna Ecclesia constitui; *Et statim missi nuncii, convocatis Pontificibus & Populo, ipsum in ea Cathedra collocarunt:* Hæc lib 3. Hist. cap. 2. habet Gregorius, ut ostendat Regi curæ fuisse, ne Quintianus a se nominatus Episcopis, plebique displiceret. Ita quoque Clodomiri Regis iussu Ommatius Turonensem Episcopatum adeptus est; quo non multis post annis donati a Clotilde Regina Theodorus, & Proculus. Ita Episcopatum Ruthenensem a Regina Brunechilde impetravit Innocentius Comes Gabalorum, Bituricensem a Guntramno B: Sulpitius, Agathensem a Rege Visigothorum Leuva Fronimius.

Nec commentitia igitur, nec impossibilis est ea concordia Populi, & Episcoporum cum potestate Principis in electionibus. Magno certe Gregorio, quem incorruptum Canonum vindicem, intrepidumque Ecclesiasticarum libertatum defensorem omnes recte norunt, perfacilis, & consentanea visa est ea suffragiorum conspiratio, quandoquidem decrevit, ut Augu-

gu-

gustodunensis Xenodochii Abbas a Rege, & a Monachis eligeretur. *Obeunte Abbate non alius ibi quacumque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem Rex eiusdem Provinciæ cum consensu Monachorum secundum timorem Dei elegerit, ac providerit ordinandum: lib. 11. Epist. 10.*

Occupabant quandoque Episcopi præsentare Regibus eos, qui Episcopatu digni reputabantur, quosque Clerus, Populusque mox eligebant. Postulavit a Childeberto Rege, a quo invisebatur in extremis agens Lugdunensis Episcopus, ut nepotem suum sibi successorem daret Nicetium; Assensusque est Rex, & Nicetium populus tunc elegit. Carolomannus Dux, & Princeps Francorum in Concilio Liptinensi an. 743. elegit Episcopos consilio Cleri, optimatum, laicorum, & ipsius maxime Bonifacii Moguntini Archiepiscopi, qui vices Apostolicæ Sedis per Germaniam, & Gallias agebat, cuiusque plane opera Pontifices ad novos Episcopatus constituendos adsensum præbere cœperunt, cum antea usque ad Gregorium VII. in ea re conticuisset illorum auctoritas. Baronius fretus testimonio Lupi Ferrarensis Abbatis existimat, hoc demum Pipino concessum a Zacharia.

At

At quomodo cœteri Francorum Reges eodem iure frui potuissent? Silent enim veterum monumenta, nec Baronius perspicue ostendit undenam reliqui Reges illud mutuati fuerint, neque omnino Lupi verba indicant quod in mentem venit supralaudato Baronio. Verisimilius ergo Pontificem Pipino assensum fuisse, non ut eiusmodi sane præditum iurisdictione, sed ut eum, qui de re quapiam consultus vel approbat, vel dissentit; idque eo animo fecisse Pipinum, ut rem gratam faceret Zachariæ, cui multis devinctus erat nominibus, vel ut paratiores in recipiendis a se constitutis Episcopis efficeret populos, si eosdem Pontifici quoque placuisse intelligerent. Nam quod in Liptinensi Concilio incœptum fuerat super novis Episcopis perfecit Pipinus in Suessionensi, nec a semel assumpta auctoritate unquam recessit, ut in Concilio Vernensi an. 755. Can. 2. testatur, ubi ait, se constituisse *Episcopos, qui Metropolitarum vicariam operam agerent*.

Interim fas est animadvertere, Gregorium, è cuius historia decerpta illustriora exempla retulimus, nusquam suis querelis has regias nominationes tamquam

Ca-

Canonibus infenſas exagitare. Reges, qui diſtraherent, Clericoſque, qui ſacras emerent dignitates acerbius perſtringit; ipſis vero nominationibus eiuſmodi vitiis minime laborantibus haud refragatur. Ne Concilia quidem ipſa ſibi cum Regibus decertandum duxerunt, immo ne certabant quidem de eo, quod capitalius erat, ne mitterentur ordinandi Epiſcopi è Regiæ Domus familia. Et ſane ſi quem Rex nominat, eundem poſtea Clerus elegerit, iam ſalva ſunt omnia, nec aliquid aut ex Populi, aut Cleri privilegiis perit. Ideo Conc. Tolet. 12. Can. 1. ſtatuit, ut a Rege propoſitus illico valeat conſecrari. Confirmat hoc etiam Canonum Collector Gratianus *diſt.* 63. *cap.* 25. §. *electiones cap. quia*, *cap. Reatina*, *& ſeq.* Innocentius III. *lib.* 1. *epiſt.* 76. Platina in vita Bonifacii III. Quod autem nonnunquam Canones ab electionibus laicos, ipſoſque Reges, ac Principes removere conentur (*a*), nihil obſtat, cum illud ſolummodo caveant, ne Reges expulſo Clero ad electiones procedant, neve ullam conſecrationem Eccleſiaſtico iudicio, confirmationique præmit-

(*a*) Decr. diſt. 93. cap. porro, & Conc. Arvern. Can. 2, & ſeq.

mittant (a). Nemo enim aliunde non perſpicit, Imperatorum, ac Principum ſemper fuiſſe Eccleſiam proſtratam erigere, ut optime obſervat Gerſonius, ſive quicumque ille ſit, qui librum conſcripſit *de Statu Eccleſiæ in veteri, & novo Teſtamento*. Quapropter Honorium Imperatorem, etiamſi viſus ſit falcem in Eccleſiaſticam meſſem, ut dicitur, immiſiſſe, nemo plane vituperat, immo Eccleſia æquo, & alacri animo eius legem de electione Romani Pontificis amplexa eſt (b), eique tamquam inſigni benefactori gratias quamplurimas habuit.

Marculphi formulæ exhibent ſupplicem Civium ad Regem libellum, Regiumque (ut a Gregorio quoque vocitatur) præceptum de Epiſcopatu, quem Rex precario conferebat prævio Epiſcoporum, Procerumque conſilio, ut ecce, *Cognovimus antiſtitem N. ab hac luce migraſſe, de cuius ſucceſſore ſollicitudinem congruam una cum Pontificibus, vel Proceribus noſtris plenius tractantes decrevimus illuſtri Viro N. Pontificalem in ipſa Urbe committere dignitatem*. Quibus verbis omnino planum fit, Regibus iam perſuaſum, ſui ipſorum iuris eſſe, & of-

(a) Spalaten de Rep. Eccl. lib. 3. §. 54.
(b) Epiſt. decret. tom. 1, inter epiſt. Bonifacii.

officii, ut tamquam Populi Rectores ad electiones cum ipso concurrerent (a).

In Germania itidem antiquitus contigit, ut Clerus, & Populus simul eligerent. Dein sicuti Romani Imperatores, ex quo Christianam fidem amplexi sunt, Episcopos ipsi faventibus aliis constituerunt, hinc successores quoque idem fortasse usurparunt, eo magis quod teste Gelasio Ep. 11. plurimum fuerint Augustæ Trevirorum commorati. Quoniam tamen nihil memoriæ proditum invenitur, id temere affirmare nefas est. Unum illud in dubium revocari nequit, quin posteaquam electiones ad Galliæ Reges partim pertinuerunt, idem etiam mos invaluerit in Provinciis iis omnibus, quas victricibus armis Galli subegerant, ut in Germania prima, & secunda, in maxima item Sequanorum Provincia, nec non Belgica prima; quæ quatuor Provinciæ ex septemdecim Gallicanæ Dioeceseos integræ postmodum ad Germanicum Regnum pertinere cœperunt. Neque ulla suppetit ratio, cur minorem sibi Francorum Reges in Germanos, quam in Francos usur-

(a) Hisce affines sunt formulae a Sirmondo editae in Appendice tom. 2. Conciliorum Galliae, & in Praafatione *de antiquo more promovendi Episcopos*, quae extat tom. 8. Conc. gener. Edit. Lab.

usurpare debuerint potestatem, maxime cum multas Germanicas Ecclesias dirutas iacentesque Franci reparaverint, atque refecerint. Immo & Austrasiæ Regnum, cuius pars maxima erat in Germania, suos sæpe ex Francorum Regia Familia Reges habuisse in comperto est apud omnes. Nec diversa profecto fuit in electionibus consuetudo Pannoniæ, Vindeliciæ, Norici, & Rhaetiæ. In Bavaria vero, quæ tum proprios Reges habebat, Episcopos a Populo interdum delectos indicant Leges Bavaricæ relatæ in Codicem Friderici Lindembrogii lib. 1. cap. 11. (a).

Post receptam a Recaredo Rege Catholicam Fidem, disciplina Hispaniarum ab iisdem moribus non abhorrebat, quippe verisimile est, eam ex Gallia derivatam fuisse ad Hispanos, qui Codice Canonum magna ex parte Gallicanorum uti consueverant. Electio scilicet Clero populoque; iudicium autem Metropolitano, & Cœpiscopis reservabatur eo pacto, ut Regius quoque assensus intercederet, qui Can. 3. Con. Barcinonensis *per sacra Regalia*, idest sacras literas Regias denotatur. Confirmavit usum illum Con. Tolentanum 12. sub

Er-

(a) Vide Contin. de Const. Epis. Germ. num. 13. & 19.

Ervigio Rege Can. 6. cuius verba retulit Gratianus dis. 63., nihil autem novi constituit, ut nonnulli opinantur. Fatentur inibi Episcopi liberam etiam antea fuisse Principis electionem, quamvis suspensam, donec consultatio, seu relatio mitteretur è Provincia a Metropolitano, & Episcopis. Fallitur in notis ad hunc Canonem Garsias existimans Regem ante Conc. Toletanum electionem suam ad Concilium Generale Hispaniæ retulisse, ab eoque percontatum, an nominatus dignus esset qui confirmaretur. Erroris occasio sumpta ex Conc. Toletano 16. in quo de translatione Felicis Spalensis Episcopi agitur. Sane translatio non poterat iuxta Canones a Rege decerni, sed a Synodo generali. Adde quod Concilii 12. tempore omnia a mero Regis arbitrio pendebant, ideoque ex posteriore usu Concilii 16. immutatam electionum formam supra memoratus Auctor interpretari non potuit.

Iam vero iidem pene mores erant Ecclesiarum iu Anglia; nam in primis Episcopi ab aliis eligi non potuere, quam ab iis, a quibus ordinabantur. Ioannes Diaconus ea de re differens lib. 3. cap. 7. inquit *Gregorius Papa Augustinum penes*

nes Anglos a Galliarum Episcopis ordinari praecipit, per quem nihilominus ad Episcopatum in eadem Gente Monachi eiusdem Patris interdum provecti sunt, Mellitus, Iustus, Laurentius, & Paulinus. Plura possem ex Bedæ Anglicana Historia exempla depromere, sed dumtaxat unum, aut alterum ex insignioribus proferre satis superque erit. En eius verba lib. 3. cap. 22. 28. *Contigit ut congregata Synodo non parva sub praesentia Regis Egfridi, cui Theodorus Archiepiscopus praesidebat, uno animo, omniumque consensu Sanctus Cutbertus ad Episcopatum Ecclesiae Lindisfarnensis eligeretur.* Idemque lib. 5. cap. 10. recenset a Rege Alfredo missum in Gallias Vilfridum, ut Gallicanis ab Episcopis ordinaretur, eoque ipso tempore iussu Regis Osuvi creatum Ceaddam Episcopum Eboracensem.

Sane dubitari non potest, quin eandem formam sequerentur reliquæ Occidentis Provinciæ, scilicet ut ab Episcopis, a Clero, & a Plebe in unum congregatis eligeretur qui præficiendus erat Ecclesiæ, eo tamen discrimine, ut iudicium esset Episcoporum, Populi, & Cleri suffragium. Id aperte profluit ex Can. quinto Con. Sardic. an. 347. & Can. 40. Conc. Cart. 3. Ve-

3. Veterem illum usum Con. Cart. 4. an. 398. Can. 1. paucis exponens sic loquitur: *cum in his omnibus examinatus inventus fuerit plene instructus, tum cum consensu Clericorum, & Laicorum, & Conventus totius Provinciæ Episcoporum, maximeque Metropolitani, vel auctoritate vel præsentia ordinetur Episcopus*. Nec porro alio de more, Acholio Thessalonicensi vita functo anno circiter 390. successorem Anysium Macedonicis obsecratum, & a Sacerdotibus electum refert Ambrosius lib. 3. epist. 22.

Quoniam vero ista eligendi ratio pluribus obnoxia erat incommodis ob necessitatem Synodi habendæ, electionem summi Pontifices Siricius, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cœlestinus, Leo credidere fidei Populi, & Cleri, etiam absque Synodi Provincialis præsentia. Hinc decretum de electione factum, subscriptumque ad Metropolitanum mittebatur, qui caussa cognita, iudicium de forma electionis, & de Persona electi ferebat. At quamvis electio in Italia apud Clerum Populumque diutius viguerit, nihilosecius Regum consensus requirebatur, unde ius confirmandi, & tandem investiendi per *annulum*, & *baculum* originem traxit, cuius ortum,

progressum, decrementa, & interitum fusius describit Conringius de Const. Epis. Ger. S. Gregorius sæculo 6. scribit Ioanni primæ Iustinianæ Illyrici Episcopo: *Quia suspecta Fratrum, & Coepiscoporum nostrorum relatio ad locum vos Sacerdotii totius Concilii unito consensu, & Serenissimi Principis voluntate declarat accersiri, gratias Omnipotenti Deo magna cum exultatione retulimus*: lib. 4. Epis. 8. apud Gratianum dist. 63. Can. 9. Et eadem dist. Can. 16. ita scribit Leo IV. Lothario Augusto, & Ludovico eius Filio: *Vestram mansuetudinem deprecamur, quatenus Colono humili Diacono Ecclesiam Reatinam regendam concedere dignemini, ut vestra licentia accepta eum consecrare valeamus Episcopum*. Neque dissimilis est Epistola Stephani IV. ad Guidonem Comitem relata Can 18., nec non altera S. Ivonis Carnotensis ad Hugonem Lugdunensem Primatem in qua hæc habet: *Post Canonicam electionem Reges Apostolica auctoritate a concessione Episcopatuum prohibitos minime videmus; Legimus enim sanctæ recordationis summos Pontifices aliquando apud Reges pro electis Ecclesiarum ut eis ab ipsis Regibus concederentur Episcopatus ad quos electi erant, intercessisse, aliquorum, quia concessiones Regum nondum*

con-

consequti fuerant, consecrationes distulisse.

Atque iampridem obtinuisse, ut electi in Episcopos consecrari non possent, priusquam consensus Imperatoris accessisset, apertissime declarant Reges Gothorum, qui Imperio Romano in servitutem redacto, in harum Electionum societatem honoris caussa adsciscebantur; quo quidem pacto eorum potestas in prærogativam quandam confestim increvit, ut ius nominandi sibi solis assumerent, cœterisque omnibus nihil fere reliquum esset, quam ut nominationem reciperent (*a*). Nec id novum, inauditumque videri debuit, nam sicuti Gothi Reges in iura omnium Imperatorum Occidentalium successerant, Ecclesiasticam quoque, externamque politiam in se rite suscipere potuerunt. Hoc autem Principibus adeo conveniens, congruensque visum est ad ambitus, seditionesque declinandas, ut Athalaricus Antemium, Leonemque imitatus, Edictum a Cassiodoro compositum miserit Ioanni 2. qui an. 532. Petri Sedem occupaverat, quo Pontificum, Metropolitanorum, & Episcoporum electiones dirigebantur, Salvantioque Urbis Præfecto mandaverit, ut illud coram

(a) Marca lib. 8. cap. 9. 10.

Senatu Populoque Romano publicaret, tandemque in marmoreis tabulis ante Atrium S. Petri Apoſtoli collocandis ad memoriam hominum ſempiternam inſcriberet (*a*). Tantumque abfuit, ut Ioannes de edicto quereretur, ut potius illud magno cum obſequio, & obſervantia receperit. Quod facile quivis animo comprehendere poterit, ſiquidem vera eſt eius Epiſtola ad Iuſtinianum Imperatorem in Codicem relata, in qua eiuſdem ſtudium, ac diligentiam pro Eccleſiaſtica diſciplina tantopere commendat (*b*). Uno verbo Grotius exiſtimat (*c*) Gothorum Reges ſemper Epiſcoporum electiones in ſua Poteſtate habuiſſe. Nec minus eos laudandos exiſtimo, quod probe caverint, ut ſubditorum nullus Clericali Militiæ nomen daret regia inconſulta auctoritate, uti ea quoque de re multa ſuperſunt fragmenta ſuperiorum Imperatorum in Codice Theodoſiano. Unde recte notat Chiſtianus Lupus in *Diſſertatione de regia nominatione*

Tomo

(*a*) Iuret. ad Caſſiod. lib. 9 cap. 16. Cuiac. lib. 1. feud. tit. 17. Leges olim in atriis Eccleſiae locabantur.

(*b*) L. inter claras 5 Cod. de Summ. Trinit. & Fid. Cath. Dubitant utrum haec Lex γνησία ſit Hot. obſ. 9. cap 2. Alciat. lib 5. cap 23. Cuiac. obſ. 32. cap. 25. Affirmat Fachin. controv. lib. 8. cap. 8.

(*c*) Proleg. ad Hiſt. Goth.

Tomo III. Scholiorum præfixa cap. 6. Regium consensum esse perantiquum, & a Romana etiam Ecclesia probatum. Quapropter asserendum videtur, simul ac fidem Christianam Principes amplexi sunt, curam, authoritatemque in electionibus adhibuisse, non quidem ut ad se plenum ius conferendi, aut nominandi avocarent, sed ut consulerent, ne quisquam indignus ad Sacerdotium promotus Reipublicæ, aut Ecclesiæ leges, pacemque turbaret. Nam quousque Christiana fides metu Principum Ethnicorum delituit, inconsultis quoque Principibus, Sacerdotales dignitates ab Episcopis, assentiente Clero, Populoque conferebantur.

Pulsis denique per Narsetem ex Italia Gothis, cum Roma vetus iterum Imperio adiuncta fuisset, pariter obtinuit ut electus in Episcopum Romanum ordinari non posset, antequam Imperator in Personam electam consensisset. Cum Pelagius 2. iniussu Imperatoris Pontifex creatus esset, quod nemini ex Urbe quam Longobardi obsidione cinxerant, exire liceret, exinde misit Constantinopolim Gregorium Diaconum, qui pacatum Imperatoris animum in sua studia converteret; atque ipse postmo-

dum Pelagio suffectus, scripta Epistola ab Imperatore Mauritio petivit, ut electionem de se factam non approbaret.

Quando requirere cœperint Imperatores ut nihil sine eorum consensu fieret, incertum est. Arbitratur in notis ad Platinam Onuphrius Panvinius, quem sequitur Petrus de Marca, Iustinianum iussisse, ut electus a Clero, & a Populo in Episcopum Romanum non ante ordinari posset, atque administrationem Pontificatus suscipere, quam eius electio ab Imperatore Const. confirmaretur, ut certior fieret ipse Imperator de conditione novi Pontificis, cuius tum permagna esse authoritas cœperat, Imperatoribus præsertim ab Italia procul absentibus. Morem hunc a tempore Iustiniani pluribus sæculis ante fuisse usitatum adstruit Bernardus Van-Espen, & in eam rem adhibet ex Ioanne Diacono exemplum S. Gregorii primi, qui sane Iustiniano est longe posterior.

Quidquid de eius origine dicendum videatur, id profecto liquet, diu etiam post ætatem S. Gregorii necessarium fuisse Imperatoris assensum, ut invictissime eruitur ex Libro diurno, quem Garnerius edidit Pontificum Romanorum, in quo formu-

mulæ relationis de electione Pontificis ad Principem diserte exponuntur. Quod quidem in causa fuit, ut plerumque Romana Ecclesia multum, diuque Moderatore careret. Quamvis enim Constantinus Pogonatus petitionibus Ioannis Episcopi Portuensis id concessisset, ut ab ære solvendo pro confirmatione Pontificis Ecclesia Romana liberaretur, attamen Confirmationis necessitatem non modo non sustulit, sed veterem potius consuetudinem corroboravit.

Itaque, ut incommodis ex diuturna Pontificatus vacatione proficiscentibus obviam irent Imperatores, electionis confirmandæ authoritatem nonnumquam commiserunt Exarchis, qui Ravennæ morabantur, resque Italicas nomine Imperatoris administrabant. Quibus positis inferri optime potest, levatos fuisse Romanos onere mittendi Decreti Constantinopolim, sed expectare debuisse, ut electio per Exarcham, Legatumve Imperatoris probaretur.

Facultas confirmandi, aut etiam eligendi Ecclesiarum Præsules, qua Reges Imperatoresque usi sunt, videtur Thomassino nixa quodammodo esse iure indulgentiæ, consuetudinis, & tolerantiæ; mihi

tamen (eius pace dixerim) magis arridet opinio Virorum præclarissimorum, qui eam facultatem ex altioribus, firmioribusque publicæ æquitatis principiis repetentes in iure Principum proprio, nec aliunde quæsito fundamentum, & robur habere demonstrant.

Denique quod ad nominationis potestatem inferioribus Patronis concessam attinet, communis est eruditorum sententia, quod ab Ecclesiis rusticis originem nacta sit. Nam ut ad annuos reditus Ecclesiæ recens positæ constituendos allicerentur homines, ei qui pium istud, ac perutile facinus perpetrasset, ius nominandi, exhibendique idoneum quemcumque Clericum concessum est. Viam creditur huic praxi stravisse Concilium Arausicanum primum Can. 10. & Arelat. 2. Can. 36. a quibus hoc privilegium Episcopis primum tribuitur. Exinde omnibus Ecclesiarum Fundatoribus, eorumque hæredibus ab Iustiniano facultas data est, ex iure, quod vocant Patronatus, hisce ipsis Ecclesiis suos designandi Clericos: Εἴ τις εὐκτήριον οἶκον κατασκευάσει, καὶ βουληθείη ἐν αὐτῷ κληρικοὺς προβάλλεσθαι ἢ αὐτος, ἢ οἱ τούτου κληρονόμοι, εἰ τάς δαπάνας αὐτόις τοῖς κλη-

κληρικοῖς χορηγήσουσι, καί ἀξίους ὀνομάσουσι, τοὺς ὀνομασθέντας χειροτονεῖσθαι διορίζομεν (*a*).

Sed iam ad illud postremum defluxit oratio, quod de Metropolitis, & Patriarchis singulatim dicendum superest. Igitur integrum non erat Synodo Provinciali manus imponere Episcopis *χωρίς γνώμης τοῦ Μητροπολίτου*, quod ipsi *τὸ κῦρος τῶν γινομένων* adiudicatur (*b*). Id iuris non aliunde profectum videtur, quam ex Apostolorum institutione, qui Ecclesias ad exemplum Romani Imperii per Provincias distribuerunt (*c*), adeo ut iidem Ecclesiarum Orientalium, & Occidentalium fines essent, qui ipsius olim Imperii fuerant; unde accidit, ut Episcopi celebriorum Civitatum, quæ *Matres* a veteribus appellantur, ius quoddam eximium in cœteras Ecclesias acquirerent. Ac proinde Metropolitæ tam in Oriente, quam Occidente non diversam habuere usque ad octavum sæculum potestatem.

Proximum est, ut in Patriarcharum iura, ac privilegia inquiramus. Hinc, inde a Viris doctissimis de prima potestatis Pa-

(*a*) Novell. 123.

(*b*) Con. Nic. Can. 4. 6. 7. & Antioch. Can. 19. Synod. Laod. Can. 12. Carth. 2. Can 12. Carth. 4. Can. 1.

(*c*) Con. Calch. Can. 17. & Syn. Quinix. Can. 38.

Patriarchalis origine disceptatur. Existimant Zonaras, Theodorus Balsamon, aliique recentiores Græci Patriarchas primum a Concilio Nicæno esse institutos eo Canone sexto, unde Bellarminus Papæ Primatum tuetur, Calvinus oppugnat. At veteres tantum consuetudines ibi confirmaverunt Patres Nicæni, quas eruditissimus Launoius ita nobis ignotas esse animadvertit, ut in antiquis Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ Ecclesiæ usibus nihil Patriarcharum proprium possit demonstrari. Inter privatos Auctores, qui Patriarcharum expresse meminerint, primus est Socrates, qui Historiam suam an. 440. immortalitati commendavit. Nec enim attendenda epis. 1. 2. 3. Anacleti, & Epis. Clementis ad Iacobum Fratrem Domini, quæ a Criticæ Artis Peritis inter apocryphas reiiciuntur. Inde error superiorum Scriptorum in Comment. ad eundem Canonem 6. quod accidere solet iis qui a rerum gestarum origine quamlongissime absunt; quippe inter Concilium Nicænum, ac Balsamonem, Zonaramque anni circiter octingenti intercedunt. In re tam dubia, ac tenebris circumscepta illud emicat, non uno, eodemque tempore ubique locorum con-

constitutam Patriarchicam Potestatem, nec unam eamdemque in omnibus Ecclesiis, sed diversam fuisse pro varia locorum, Regionumque consuetudine, vel prout Regibus, & Conciliis maiora eis Privilegia placuit elargiri. Itaque Patriarcha Byzantinus tum primum a Concilio Oecumenico 2. constitutus Thraciam tantum regendam sortitus fuerat; at invalescente subinde Constantinopolis amplitudine, Asiam, Pontumque suæ addidit dominationi, Ephesino plane, & Cæsareensi Patriarcha libentissime conniventibus; quod posteaquam in consuetudinem abiit, deinde sess. 16. Conc. Calchedonensis confirmatum fuit, licet Romani Pontificis Legati mordicus repugnarent. Ecclesia iam bifariam dividi cœperat. Hic Byzantinus, illic Romanus Episcopus dominabatur. Utrobique diu certatum est. Etiamsi ille ad Patriarchatus fastigium nuperrime evectus secundum post Romanum Episcopum occuparet locum, ambitione tamen maximæ Civitatis, cui præerat elatus, his sese finibus contineri non patiebatur, quod Pontificiam præeminentiam non tamquam ius Petri Cathedræ inhærens, sed Ecclesiæ velut Imperii Dominæ concessam prærogativam

vam respiceret. Roma interim orbata Cæsaribus, barbarorum manu sæpe capta, & miserrime prostrata, & afflicta eamdem promereri gloriam Orientalibus amplius non videbatur; contra Constantinopolis ea ipsa saltem splendoris amplitudine digna esse, quia Civitatum omnium Romano nomini subditarum facile Princeps evaserat. Pluribus id Patriarchis tentatum Ioannes Concilio coacto confecit, in quo non sine Imperatoris, Patrum, totiusque Populi gratia nomen *Patriarchæ universalis* assumpsit (*a*). Id Roma ægre tulit; sed frustra. Nam, & acceptam auctoritatis notam obfirmato animo semper servavit, & ad successores transmisit. Hoc autem ita dictum volui, ut intelligatis quam longe, lateque dignitas Patriarchalis pateret (*b*).

Attamen præcipua Patriarcharum potestas in Metropolitanis omnibus ordinandis, confirmandisque posita erat; Eos autem a Synodo omnium Diœceseos Episcoporum ordinari oportebat (*c*). Itaque Romanus Episcopus in omnibus Italiæ Povinciis

(*a*) Nov. 2. 7. 16. 42. 3. 12.

(*b*) Cod. Leg. unic. tit. 2. Ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησία πασῶν τῶν ἄλλων ἐστὶ κεφαλή.

(*c*) Nov. 7. 131. Con. Calch. act. 16. Theod. lib. 5. cap. 9.

ciis, vel saltem suburbicaria Dioecesi Episcoporum ordinandorum iure fruebatur. Usus est ea voce Ruffinus nullo servato discrimine, quod inter suburbicarias, & urbicarias Regiones a Viris eruditis est animadversum, qui suburbicarias dici eas, quæ non longe abessent ab Urbe adnotarunt, urbicarias vero, quæ Vicario Urbis obtemperabant. Non mediocris tamen est difficultas in earum assignandis exacte limitibus. Nonnulli Provincias suburbicarias non ultra centesimum ab Urbe lapidem protendi autumant, ut Viri omni eruditionis genere præstantissimi Gothofredus, atque Salmasius. Ille quatuor tantum Provincias enumerat, Thusciam suburbicariam, Picenum pariter suburbicarium distinctum ab annonario, Latium vetus, & novum. Alter Latium non dividit, sed quartam Provinciam addit Valeriam. Scite inferunt alii ex Rescripto Valentiniani, Valentis, & Gratiani ad Ampetium eas omnes esse suburbicarias, quæ in Vicariatu Romæ, non autem Italiæ sitæ essent, ut doctissimus Sirmondus, cuius sententiam plerique sequuti sunt. Quænam illæ sint, habetur ex *Notitia Imperii* edita apud Baronium ad annum 1057. videlicet Campania, Thuscia,

Um-

Umbria, Picenum, Sicilia, Apulia, Calabria, Brutii, Lucania, Samnium, Corsica, Valeria, quæ aliquando cum Samnio confunditur. In his omnibus absolutam Romanus Pontifex habuit potestatem. Profecto in cœteras etiam Ecclesias Imperii sui vires extendere sategit, ideoque variis in locis Vicarios, & inter alios Thessalonicensem instituit; nihilominus in nullas alias Provincias ordinariis iuribus Patriarchicis eum usum esse dignoscitur, eo quod nullibi gentium, excepto Romæ Vicariatu, Metropolitanos aut Episcopos ordinaverit. Quo circa non probe Historiam, aut Canones perpendisse videntur, qui docent Regionibus suburbicariis universum Romanum Imperium, aut saltem Occidentem respondere.

Quod cum diffiteri nequeant, qui proprium Pontificis privilegium id esse volunt, ut Episcopos, aut Metropolitanos nusquam non ordinet, eum Orientis Patriarchas, & Occidentis Episcopos non ordinasse dictitant defectu voluntatis, non potestatis; quasi vero iura Pontificis aliunde, quam a consuetudine, & Canonicis constitutionibus desumi possint.

Hic porro commemorasse iuverit Pal-

lii

lii collationem, fontem potentiæ Papalis uberrimum, ac pervulgatum. Initio fuit hoc simplex Imperiale ornamentum instar Chlamydis, ab Imperatore per se, vel eius consensu Patriarchis, & Metropolitis collocatum. Proinde non iniuria Baronium redarguit Edmundus Richerius, quod retrotrahendo quæ posteriorum sæculorum sunt propria, Pontificum esse, non Imperatoris dare Pallium Episcopis frustra præsumat. Persuasum quidem fuit compluribus sæculo 9. & seq. hoc quoque inter alia decoris insignia tributum Sylvestro Papæ in ea celebri Constantini donatione, quam trecentos post annos a Stephano 3. Leo 9. qui in sapientum virorum numero habebatur, adferre non dubitavit, cum iustiorem possessionis titulum exhibendum haberet. Veruntamen haud legitur, ante Innocentium 3. necessitatem impetrandi a Pontifice hoc ornamentum impositam (a). Nec temere quidam cogitant Pallium primitus a Pontifice traditum in signum Vicariatus Romanæ Sedis, una cum præeminentia, ac potestate coniuncta, ut per eam Palliorum sæpius repetitam postulationem Metropolitas arctiori vinculo obstrictos ad obe-

(a) S. Thomass. part. 3, lib. 1, cap. 24.

obedientiam compellerent: cum enim Pallio ſolis Patriarchis uti liceret, Metropolitani, qui eo donarentur, non immerito vices ſibi repræſentare videbantur Romani Pontificis, cuius tamquam Patriarchæ Occidentis proprium illud cenſebatur eſſe ornamentum. Deinde Palliorum dationi Pontifices adiunxere conditiones admodum graves, quæ Metropolitas Pontificiæ Sedi magis devincerent: ex. gr. quod ante illius receptionem nullas Pontificales obire poſſent functiones, quas mox a conſecratione, nullo habito reſpectu Pontificii conſenſus, libere exequebantur. Valde igitur veroſimile, veterem Pallii formam Imperiale ornamentum præſeferentem ſenſim in aliam, ac tandem in hodiernam a priſtina omnino diverſam fuiſſe immutatam, poſtquam Romani Pontifices Pallium independenter a conſenſu, & benignitate Imperatorum communicare cœperunt; magis enim congruum, ut ſacræ veſtis formam exhiberet, ita ut ab omnibus tamquam Pontificale ornamentum reputaretur.

Prætermittenda non eſt altera nec minus vera temporalis Pontificiæ magnitudinis, ac propterea poteſtatis in cœteros omnes Epiſcopos Epocha, nempe hæreſis

Ico-

Iconoclastica, cui Leo Isauricus, eiusque Filius Constantinus Copronymus imprudenter admodum adhæsere. Eo enim tempore publicis turbatis rebus ea maxime increvit. Huc accedit, quod vita functo Aistulfo, cum Dux illius Desiderius Longobardicum Regnum favente, atque opitulante Pontifice adeptus esset, idcirco postea grati animi testimonio Pipini donationem adauxit, & confirmavit.

Necesse etiam est, ut primoribus labris nonnulla delibemus de Collegiis Religiosis, seu Monasteriis, quæ per magno Ecclesiasticis opibus incremento fuere. Monachatus in Ægypto ortum habuit an. ferme 300. (a) eo ipso disciplinæ systemate, quod modo etiam iis in Regionibus viget: Romamque ab Athanasio asportatus a paucis benigne est exceptus usque ad annum 500. quando scilicet Divus Benedictus illum late undequaque disseminavit. Interea Monachi sibi ipsi creabant Abbatem, qui bona cum oblata, tum propriis ipsorum parta laboribus, agrorumque cultura gubernaret. Sed cum Transalpinæ Abbatiæ magna iam essent possessio-

E

(a) Cassianus opinatur, vel ante id temporis floruisse in Aegypto Monachos.

ſionum dote locupletatæ, ideo Abbatum eligendorum facultatem ſibi ſumpſerunt Aulæ Regiæ Magiſtri, quia potiſſimum Monachi tunc forent Laici, Ordinumque omnium Eccleſiaſticorum expertes. In Italia vero cum nullæ uſque ad annum 750. extarent Abbatiæ divitiis adeo præſtantes, eas Gothi Reges, Imperatores, ac Longobardi deſpexerunt, ac proinde priſtina electionis ratio permanſit. Quapropter Epiſcopi, qui rei familiari, ſplendorique augendo ſedulam operam dabant, Monaſteriis nimis erant graves, atque moleſti (a) ob eamque cauſam Monachi ſimul, & Abbates ad Romanum Pontificem confugerunt, ut ab Epiſcopali auctoritate ſubductos in ſuam reciperet fidem. Idque non ægre a Papis conceſſum (b); Ex iis ergo omnibus, quæ in hac ſecunda diſceptationis parte hactenus diximus, colligere eſt, quod etiamſi Eccleſiæ Occidentis diutiſſime permiſerint Laicis ius eligendi, Principibus, Cleroque longe maius quam Populo fuit privilegium, ita ut Epiſcopis facile ſæpe fuerit, eundem

(a) Epiſcopi tunc praeſertim dominari nimis abſolute, damnoſeque coeperunt, cum circa an. 500. trientem ex aſſe Eccleſiaſtico libere diſpenſandum ſortiti ſunt.

(b) Quid de hac innovatione ſenſerit Divus Bernardus colligi poteſt ex lib, 3. de Conſ. Cap. 4.

dem pariter ab electione Præsbyterorum, Diaconorum, aliorumque Ecclesiæ Ministrorum fere expellere, solique Principi, vel Magistratui integram conferre nominandi provinciam, ut in eorumdem Episcoporum electionibus iam usuvenerat.

SEquitur, ut tertiam prosequar Instituti mei partem, periculosæ quidem plenam aleæ, ita ut quæ potius dicam, quæve omittam non bene noverim; prælucente tamen veritatis face pulcherrima, a qua me numquam discessurum profiteor, reliquas electionum vicissitudines, contentionesque sub Imperio Byzantino, & Carolingica stirpe excitatas diligenter quantum potero percensere contendam.

Canone igitur tertio Concilii Oecumenici 7. electiones illæ damnatæ fuerunt, quæ temporalium Principum auctoritate celebrabantur, Canone Apostolico in eos innovato, qui ad Episcopales Sedes Principum favore conscenderent. Summa auctoritatis in eodem Concilio Episcopis vindicatur, ut electionibus præsint, nec Cleri, Populi, Principisque consensum conterant, sed pruden-

tia regant; & moderentur; alioqui Patronatus Laicus hoc Canone destrueretur, qui longe antiquissimas, & altissimas in utraque Ecclesia radices egerat. Nec minus in eandem rem perspicui sunt Canones 5. 12. & 22. Oecumenici VIII. Concilii quemadmodum in Methodii, & Ignatii Electionibus demonstratur. In ipsis enim Imperatoriam potestatem cum Episcopis, Senatu, Clero, Populoque mirifice conspirasse aperte intelligitur, de qua re doctissimus Petavius lib. de Hierarch. Eccles. Tomo 3. dogmatum Theologicorum egregie de more differit, ut ab Episcopis, aut una etiam a Clero eligerentur Antistites, recepta per omnes Ecclesias Canonum Decreta sanxerunt; ut autem in iis renunciandis Laicorum etiam suffragia locum haberent, in Occidente potissimum Lex, & consuetudo iubebat. Hanc auctoritatem frustra Bellarminus infringere conatus est, quasi istiusmodi popularis electio, tantum ex Romani Pontificis conniventia fuerit ad breve tempus tolerata. Insuper clarissimus Vir addit in Oriente etiam Clerum, Populumque (a) in Electionibus exclusum non fuisse,

(a) Usitatum pluries in Ecclesia fuit ut Populus aliquem posta-

fuisse, exemplum adferens ex Synesio Cyrenes Episcopo, sua quidem sententia adeo inconcussum, ut existimet nusquam inveniri posse in creandis Episcopis, ac Popularibus Comitiis celebrandis antiqui moris luculentius, clariusque vestigium. Quapropter mirum est, quomodo Bellarmino persuasum fuerit illam, quam exposuimus consuetudinem, nec diuturnam fuisse, nec in Ecclesia universa receptam, cum præsertim omnis eius sententiæ antiqua Historia adversetur. Quod enim attinet ad decreta Nicænæ primæ, Laodicenæ, & Constantinopolitanæ Synodi, quibus aliud constitutum videtur, vel ipse Petavius dubitat, an ex illorum Canonum verbis accurate perpensis satis probari possit Populo fuisse penitus ius illud ereptum (a).

stularet eligendum. Antiquitus non multum discrepabant electio, & postulatio maxime eo tempore quo Plebis consensus in Episcopi electione adhuc expetebatur dis. 16. cap. 12. cap. 16. dis. 61. cad. 1. dis. 62. Praecipue autem postulare dicebantur; qui ex aliena Parochia, vel Dioecesi electi erant, quod sine Episcopi licentia fieri non poterat teste du Cange in gloss. voc. postulare. Novum deinde postulationis genus invaluit, scilicet postquam aliqui electi fuerint, *Canonicis qualitatibus* destituti, postulatio dicta est instar capituli petitio pro admittendo qui secundum Canones admitti non poterat praevia auctoritate, & dispensatione Superioris interveniente. C. 23. X. de elect. & elect. potest

(a) Si quis de populi potestate maiora adhuc desideret, consulat opus Mar. Antonii de Dominis de Rep. Eccl.

Illud interea exploratum eſt, electiones aliquando ab Imperatoribus ex eorum voto fuiſſe celebratas, ex quo Nicephorus Imperator Lege lata quemquam eligi vel Epiſcopum ordinari citra Imperatoris aſſenſum prohibuit (a). Verum ea Lex omnibus quidem inviſa fuit; nam Polyeuctus Patriarcha non ante adduci potuit, ut Ioannem Zemiſcem Imperatoriis ornamentis indueret, quam ea Lex ab eodem abrogaretur. Nec alia ratione *exautoratus* Alexis Patriarcha invenitur, quam quod eam Sedem non Epiſcoporum ſuffragiis, ſed una Baſilii Imperatoris voluntate occupaſſet. Ex quo evidenter eruitur, illos a ſacris dignitatibus deiectos fuiſſe, qui nullis Epiſcoporum fulti ſuffragiis Epiſcopales Cathedras obtinerent.

Quod ſi tam incorrupta libertas vigebat in Conſtantinopolitani Patriarchæ electione, licet Epiſcopatus ille inter Imperii Orientalis dignitates excelleret, electioque ante ipſius Imperatoris oculos celebraretur, quid cogitandum de cœteris Epiſcoporum Ordinationibus longinquis in Regionibus habitis? Antiochena Eccleſia quadraginta annorum ſpatio viduata Paſtoribus

(a) Cedrenus pag. 658.

bus, eo quod Sarraceni Tyranni electiones impedirent, nullatenus vidit fulgorem aliquem libertatis, cum Sarracenorum Imperator Stephani cuiusdam Monachi amore inflammatus Antiochenis deligendi sibi Patriarcham potestatem concessit, dummodo hunc Stephanum designarent (a). Ex quo intelligitur, primo aliquando Ius Patronatus, & nominationis ad beneficia ad Ethnicos, & Hæreticos devolvi passam esse Ecclesiam, necessitate exigente, charitatis, & indulgentiæ caussa, ne Religio pro temporis conditionibus prostrata & afflicta destrueretur omnino, secundo non nihil loci electionibus fuisse, vel in media infidelium colluvione atque barbarie; (b) tertio quæ fiebant ab his Pincipibus electiones non eas esse, quæ libertatem prorsus everterent, quamvis in arctiores sane limites compellerent; postremo si Ecclesia humanitate, indulgentiaque in Principes barbaros usa fuit, multo id magis facere posse erga Christianos Principes, si quando potestatem ipsi suam non iis prorsus finibus circumscripserint, quos leges Canonesque statuerunt.

(a) Cedr. pag. 460.
(b) Thomass. part. 2. lib. 2. cap. 26.

Hucusque penes Episcopos præcipue, addito quodam Populi desiderio, Principisque consensu electiones fuisse vidimus; verum posterioribus sæculis longe a veteri dignitate disciplina deflexit. Nam Balsamon sæculi XI. & XII. mores exponens ait, quod etiamsi Iustiniani Constitutio maxima ex parte in desuetudinem abiisset, attamen illud adhuc supererat, ut ab Episcopis tres designarentur, quorum dignissimum Metropolitanus seligeret; similiter, & in Metropolitani electione è tribus propositis unus a Patriarcha consecrabatur, atque eæ electiones plerumque Constantinopoli celebrabantur, eodem adstante Patriarcha, ac Metropolitis compluribus, qui sæpe arctissimas residentiæ leges prætergredi non dubitabant (a). Illud autem magis mirandum, quod ut Balsamon ait, Metropolitani ab Episcoporum electione prohibiti fuerint, cum non eos adesse tantum, sed & aliis præi-

(a) De Episcoporum residentia certatum acerrime fuit in Conc. Tridentino. Residendi munus repetebant ex iure Divino quamplurimi Concilii Patres. Refert ex Caietano Fagnanus ad cap. de Cler. non resid. num. 21.

„ Nullus antiquorum contradicebat quin Pastores Animarum tenerentur praecepto Divino ad personaliter residendum „

Fatendum tamen est posse Episcopos interdum abesse, praesertim exigente Ecclesiae utilitate. Ideo Tridentina Synodus nonnullas absentiae causas comprobavit.

præire debere Canones decrevissent. Verum huius consuetudinis ratio hæc reddi potest, quod quotiescumque Populus, Clerus, & Episcopi ad electiones celebrandas incumberent, illis necessario præficiendus erat Metropolitanus; At postquam circa XII. sæculum desiit Clerus, Populusque convocari, & Episcopi tres Metropolitano nominarunt unum ex iis designaturo, tum æquum amplius non fuit, ut Epscoporum conventui ipse interesset. Addit etiam Balsamon Episcopos omnes in Urbe degentes vocatos fuisse, electionemque unius tantum absentia intermissam. Quod sane non video qui cum priscis Canonibus constare possit, qui quamvis Episcopos omnes expeterent, tres tamen sufficere decreverant. Sed hæc rursus erant corruptæ Græcorum Ecclesiæ vitia. Constat itaque permagnam Episcoporum auctoritatem fuisse, siquidem eo pervenere, ut Clerus Populusque iure quod iam per mille annos habuerant, tandem penitus exuerentur.

Patriarchæ vero Constantinopolitani electio post annum Christi millesimum a veteri more recessit. Etenim post Patriarchæ obitum, nullus Episcopus ad eam accedebat Ecclesiam, ne præstantissimam illam Se-

dem

dem ambire videretur (a); solus Imperator Episcopos omnes sic convocabat, ut tres eligerent, ex quibus unum ordinari Patriarcham ipse Imperator iubebat, tamquam a Sanctis Patribus (ut pia nonnullorum sententia fert) hanc potestatem nactus, mediante Sacro Chrismate, quo inungebatur. Unde autem nova hæc eligendi ratio ortum habuerit, haud tam facile coniicere possumus. Hoc tantum statuerat Iustinianus, ut ex tribus iis a Clero populoque exhibendis digniorem Metropolitanus præferret, ideoque nova methodus ab eodem minime repetenda. Præterquamquod Synodus Oecumenica VIII. non adeo illis succensa fuisset electionibus, in quibus Imperator plus æquo sibi tribuebat, si ea iam tum invaluisset consuetudo, ut Imperator Patriarchatus Constantinopolitani per pedum, pallium, Crucemque daret investituram. Tradunt itaque Zonaras & Cedrenus, quod anno circiter 963. inter Patriarchas, & Episcopos dissensione suborta super iure modoque electionis, ea capta occasione Nicephorus Phocas vetuit, quominus præter suum consensum Episcopi Ecclesiarum habenas capesserent. Hinc opinor

(a) Simeon, Thess. C. 9.

nor, huius novæ disciplinæ exordium. Nicephori postmodum successores neque transmissam iurisdictionem penitus remittere voluerunt, neque adamussim iis omnibus iuribus pertinacius adhærere, quæ ipsis aliquam ignominiæ labem afferre facile potuissent. Quocirca in hoc convenerunt, ut Episcopi tres proponerent, Imperatores vero unum ex illis Ordinandum eligerent. Interea cum summi Constatinopolis Imperantes cœdes, interneciones, dolos, simulationesque molirentur, aut futilibus Theologicis vacarent quæstionibus, potius quam publicæ felicitatis legibus conservandis, Imperium veteres florentes vires decusque amittere occœpit, adeo ut Græci malis artibus pessimæque administrationi indignantes auxilium pro Alexi iuniore a Latinis efflagitaverint, qui suppetias profecti eosdem oppressos, ac profligatos inditionem redegerunt. Sed ne id quidem prospere cessit, ut electionum libertas aliquantisper restitueretur. Nam teste Gregorio Acropolitano Imperatores proprio nutu, atque arbitrio Patriarchas eos designabant, quos aut ambitio, aut quædam ingenii stupiditas illorum obsequi studio, & voluntati cogebat. Attamen haud longum diuturnumque

sibi

ſibi compararunt Imperium. In maritimis enim Civitatibus clauſi alienum auxilium petebant; ſed cum per totam fere Europam bella, factiones, ac diffidia flagrarent validiſſimum defenſorem, propugnatoremque neminem invenerunt; Quadere, deſperatis rebus, Latiniſque metu perterritis, Græci, qui finitimis in Regionibus domicilium, novoſque Principatus poſuerant, Imperium denuo recuperarunt. An vero tunc religioſius electiones celebrarentur, non parum ambigitur. Georgius Pachymeres Michaelis Paleologi geſta elegantiſſime enarrans nullum electionis, vel Epiſcopalium ſuffragiorum veſtigium indicavit. Etenim cum nimis aſperæ, & diuturnæ forent diſſenſiones Patriarchas inter, & Imperatores, omnis idcirco electionis regula, rituſque obſoleverat.

Hic priuſquam Græcorum electionibus finem imponam, non abs re penitus alienum eſſe arbitror nonnulla de Grecorum Schiſmate dicere, utpote quæ ad noſtri temporis electiones explicandas maxime prodeſſe poſſint. Illud autem ex eo ortum eſt, quod Conſtantinopolitanus Patriarcha ob inſanam dominandi lubidinem Romanum Pontificem dignitate antecellere exop-

ta-

tabat. Iam ſub Imperatore Theodoſio in Conc. Conſtantinopolitano quæſtio deciſa fuerat, nihilominus novi ſemper quidpiam Patriarchæ moliti ſunt; præſertim vero rem ſtudio conatuque rurſus aggreſſus eſt Photius, qui tamen intelligens numquam ſe tantum honoris faſtigium aſſequturum, ἐς δεσποτεῖαν ſuas cogitationes omnes convertit. Multa deinceps perpeſſus eſt, exilioque demum mulctatus obiit. Verum, etſi eius interitus ſchiſma ſedaverit, extinguere certe non potuit. Imo renovatum ſæpius fuit donec Balduinus Imperio potitus Latinum Patriarcham eligi iuſſit, qui cum Romana Eccleſia ſocietatem iniret. Fœdus exinde rupit Paleologus Imperator an. 1261. & in Florentino Concilio ſub Eugenio IV. an. 1439. denuo percuſſum eſt; cuius quidem initium, & fundamentum cum in ſolo Latinorum auxilio, quo Græcus Imperator indigebat, poſitum eſſet, hinc accidit, ut ab univerſo Imperio reprobatum ex templo reſciſſum fuerit.

Hactenus de Imperio Græcorum. Nunc cœtera, quæ de electionibus ævi Caroli Magni principio polliciti fuimus, proſequamur; Itaque Carolus Magnus, poſtquam bellum Saxonibus intulit, totidemque

que victorias adeptus est, quot prælia commisit, ea quæ Atavi Romanæ Sedi largiti fuerant, sibi tantum relicto summo quodam proprietatis iure piissime confirmavit; (a) Romam deinde profectus, ut eius Liberi Pipinus, & Ludovicus Longobardorum unus, & alter Aquitaniæ Reges a Pontifice consecrati salutarentur, Imperiali Corona, & ipse a Leone III. Pontifice donatus, Francofurtensi Concilio omnium, quæ in Occidente habita sunt celeberrimo præfuit. Novum Legum systema in eos omnes, quos Imperio suo subiecerat Maguntiæ sancivit, Capitularia præstantissima Aquisgranensia confecit, quorum pleraque a Ludovico XIV. renovata fuerunt, summus vere Imperator, cum Alexandro, & Antoninis etiam conferendus, nisi immoderatæ eius largitiones, nefariæque in victos crudelitates dedecore quodam illius nomen afficerent. Animum deinceps ad Ecclesiasticas res accuratius convertens, rerum civilium perturbationes consecutam quoque fuisse perspexit Ecclesiastici Ordinis, & electionum maxime disciplinam, ut propterea de pri-

(a) Id manifestissime evincunt ea, quae Romae cudit numismata, nomenque suum in publicis actis inscriptum „ Imperante Domino nostro Carolo „

priſtina reſtituenda Eccleſiis dignitate ſedulo cogitandum intellexerit.

Ineunte ſæculo VIII. cum Carolus Martellus Eccleſiaſtica bona invaſiſſet, pro lubitu Epiſcopatus quoque conferebat. Imo electionum arbitrium eo pervenerat, ut nulla ratione habita Epiſcoporum ſcientiæ, Laici etiam Epiſcopatibus fruerentur. Carlomannus Martelli filius Concilium in Germania coegit, pulſiſque Laicis ab Epiſcopatuum poſſeſſione, conſilio Sacerdotum, ſuorumque Procerum Epiſcopos ordinari iuſſit. Pipinus alter Martelli Filius tali pacto ſe geſſit, ut ex priori colluvio emergere cœperit Eccleſiaſtica diſciplina, Epiſcopis iuxta Clotarii Regis edictum, formulaſque quæ ſunt apud Marculfum, arbitrio nempe Principis, Procerumque conſilio, conſtitutis. Nec Carolum Magnum eo quod impulſu Hadriani Pontificis Clericis, Civibuſque liberam eligendi poteſtatem reliquerit, huic iuri renuntiaviſſe putandum eſt. In ſolemnibus enim Aquiſgranenſibus Capitularibus, quomodo Epiſcoporum Ordinationes iniri debeant, conſulto forſan omittit. Sunt qui arbitrantur Carolum auctoritate Romanæ Synodi commotum electionum munus neglexiſſe. Verum cum huiuſce Syno-

di

di mentio primum facta fuerit a Sigiberto Gemblacensi in Cronico ad an. 773. & alia ex parte cum pro certo habeatur Henrici Imperatoris studiis eundem favisse, nonnullis idcirco argumentis Baronius illud Concilium purum eiusdem commentum, inventumque fuisse conatur ostendere. Si tamen Petro de Marca fides habenda Sigibertum in errorem Cronologicum dumtaxat incidisse videbimus. Nam ut ad Regni Caroli exordia apte congruenterque referret Imperatoris iura, quæ tunc temporis in disceptationem cadere cœperunt, Romam denuo ipsum venisse post captæ Papiæ tempora dedita opera finxit. Cum autem concessio ista Leonis VIII. Pontificis testimonio nitatur, cuius quidem constitutio ad Othonis I. benevolentiam captandam in Romana Synodo primum edita apud Gratianum, ac Theodoricum Nihemum relata invenitur, frustra Baronius illam quoque falsitatis arguere præsumit.

Illud autem asserere minime dubitamus, Ludovicum eius Filium pristinam fere electionibus dignitatem reddidisse (a). Ha-

(a) Cap. 86. lib. I. capitu. Abbas Ansegisus huc Ludovici Capitulare an. 816. cum illo confundit, quod Carolus Magnus edi- derat

Habetur certe in annalibus Eginardi (*a*) Drogonem, consentiente Ludovico libere creatum fuisse Metensem Episcopum.

Illud vero hac in re libenter animadvertimus eundem præcepisse, ut in posterum electiones gratuito peragerentur. Nam innumeris aliis pestibus, atque flagitiis, quæ per integerrimam, scelerisque puram Ecclesiam pervaserant, hæc etiam tam priscis regulis adversa, ac primum (ni fallor) a Gothorum Regibus introducta consuetudo est annumeranda. Etenim cum Episcopos ipsi confirmandos suscepissent certam pecuniam, quæ antea in Pauperes erogabatur, in ærarium publicum contulerunt. Quodquidem cœteris Imperatoris usque ad Constantini Pogonati tempora obtinuit (*b*). Perspicuum autem est omnibus, quam graviter acerbeque veteres Ecclesiæ Patres præsertim Gregorius, (*c*) & Basilius

F ne-

derat an. 779. sicuti doctissimus Sirmondus ostendit Tomo 2. Concilio-rum Galliae. Haec autem distinctio lucem electionibus adfert a Carolo celebratis. Hincmarus T. 2. Illud Carolo, & Ludovico simul adscribit.

(*a*) In annalibus ad an. 833.

(*b*) Nov. 123. Iustinianus usum tantum Enthronisticorum approbavit. Ut vocis huius explicatio intelligatur sciendum est ab Episcopis ordinandis certam pecuniae summam Archipresbytero sive Archidiacono Ordinatoris e more solvendam fuisse.

(*c*) Lib. 8. epist. 110. ad Syagr. dist. 100. cap. novit. & Can. sicut Epist. c. 1. q. 2.

nefandam istiusmodi avaritiam obiurgaverint. Vetustissima etiam Apostolica Constitutio iubebat, ut qui munerum ope sacras dignitates obtinuisset, *deiiceretur ipse, & Ordinator eius, sicut Simon Magus a communione modis omnibus abscinderetur*. Tandem Concilium Calchedonense Can. 2. depositionis, & anathematis pœna in eos omnes sancita, qui eius turpitudinis rei deprehenderentur pristinam disciplinam revocavit. (a)

Sed ut ad propositum revertamur videndum a nobis est, an restituta ab Imperatore libertate electionum, Regius simul consensus defecerit. Drogonis exemplum quid ea de re sentiendum sit, quodammodo edocet. Verum ne validiori argumentorum pondere nostra destituatur assertio, nonnullas summorum hominum, Conciliorumque auctoritates ad id maxime aptissimas afferam. In Concilio igitur Aurelianensi Imperatoris assensus fuit comprobatus, & a Floro Magistro eius memoriæ Scriptore idem asseritur in fragmento quodam, quod Papirius Massonius. Baroniusque ediderunt. Concilii vero VI. Parisiensis Patres Can. 22. Imperatorem prudenter admodum mone-

(a) L. si quemquam Cod. de Episc. & Cler.

nuerunt, ut omni ſtudio, diligentiaque in Epiſcopis conſtituendis uteretur. Quoad Italiam Petro de Marca eſt annuendum, qui electionem quoque Romani Pontificis Imperio Principis ſubiectam fuiſſe teſtatur (*a*) quidquid ante illum Scriptores contra putaverint (*b*). Præterea ſi muneribus, pecuniave illecti Clerici, aut Laici aliquem elegiſſent, Viſitator Epiſcopus certiorem Regem faciebat, ad quem eligendi, ſeu nominandi ius tunc ſæpe redibat (*c*).

Nec minus quidem moderate, ſapienterque, Thomaſſino teſte, Principum poteſtas cum electionum libertate ſub Carolo Calvo, eiuſque ſucceſſoribus coniuncta fuit. Nam Galliarum Concilia, nonnullæque Pontificum Romanorum Epiſtolæ veluti Leonis VIII. (*d*) Regium conſenſum perſpicue confirmant. Id etiam pro certo habendum ſub Carolo Calvo Abbates Parochos, nobileſque electionibus interfuiſ-

 ſe,

(*a*) Vide Henault. Abregè de l' Hiſtoire de France T. I. p. 176.

(*b*) Videtur certe ineunte tempore Ludovicus Papis veniam dediſſe, ut abſque illius conſenſu conſecrarentur, ideoque Sergius 2. ordinari ſe voluit, antequam Imperator electionem confirmaviſſet. De hac Imperatoris conceſſione vide Paſquier.

(*c*) Huius viſitatoris Epiſcopi officium ex Affrica primum petitum fuit, quemadmodum ex Concilio Chart. IV. Can. I. & 8. demonſtratur. Illius munus a Gregorio lib. 2. Epiſ. 19. deſcribitur.

(*d*) Epiſ. 878. ad Aripertum Ebredunenſem Epiſcopum.

se; verum Thomassinus eo rem perduxit, ut Enaeæ Parisiensis Episcopi electione Ecclesiasticam libertatem roborari sit ratus, cum tanquam insigne Palatinæ ambitionis exemplum a Lupo Ferrariensi eadem referatur. Qui autem pertexere aggressi sunt Historiam Eutropii (non ipse Eutropius, ut P. Daniel asseruit) in ea soli sunt opinione, ut arbitrentur Carolum Calvum beneficium inaugurationis remuneraturum ultro remisisse præsidendi electionibus facultatem, & quidquid iuris in Beneventum, Spoletumque obtinebat, in Pontificem contulisse. Fatendum tamen eum Imperii sui Epocham libenter desumpsisse ex ea die, qua ipsum Regem Pontifex inauguravit; quod sane Pontificibus summopere profuit. (a)

Sub reliquis Carolinis Principibus onus requirendi Regium consensum permansit. Eius rei fidem facit Papæ Ioann. x. epistola ann. 921. ad Herimanum Coloniensem scripta (b) Artaldus Rhemensis Episcopus apud Hodoardum, atque Gerbertus epis. 85. ad Verdunensem Ecclesiam. Imo consuetudo hæc pariter sub initiis III.

re-

(a) Con. gener. Labb.
(b) Vide tom. III. Concil. Galliae.

Regum Dynaſtiæ conſtantiſſime viguit, (a) etiam cum electiones a capitulis Cathedralium peragi cœptæ ſunt. Philippus enim Auguſtus in transmarinam expeditionem profecturus, Provinciarum curam Matri, ac Vuillelmo Rhemenſi Archiepiſcopo demandavit, ea lege, ut Capitulis facultatem creandorum Epiſcoporum libenter tribuerent. S. Ludovicus & ipſe ad bellum iturus parem Matri poteſtatem conceſſit. Pragmatica autem ſanctio *Reſervationes* tantum, & *expectativas* abrogandas curavit. Bituricenſia Comitia Principibus, eorumque conſanguineis permiſere, ut eos præferrent in electionibus, qui ſedulam pro Reipublicæ utilitate operam collocaverant. Reges in poſterum, datis Epiſtolis commendatitiis, certos quoſdam conſtituerunt, qui electionibus præſiderent.

Baſileenſe poſtea Concilium, ex quo Gallicana Eccleſia ſuam ſibi Pragmaticam effinxit, omnibus ſive Cathedralium, ſive beneficiorum reſervationibus vehementer obſtitit. Huic ſanctioni Pontifices viciſſim ſunt adverſati. Sed *Parlamentum* illam adeo propugnavit, ut neque Ludovico XI.

(a) Vid. Decretum electionis Arnulfi in Epiſcopum Rhemenſem an. 989.

qui de illius abrogatione consenserat obtemperari voluerit. Iulius II. Concilio Lateranensi coacto, omnes Pragmaticæ defensores Romam evocavit. Post illius obitum, Legati, quos Romam miserat Ludovicus XII. Concilii ipsius acta suspenderunt, ac paulo post accidit ut Leo X. & Franciscus I. concordibus studiis fœdus Bononiæ ferirent. (a)

Quamvis vero per *concordata*, beneficiorum omnium nominatio ad Regem pertineret, Pontifex Britanniam, Provinciamque sub hac lege minime contineri credidit, quod cum Pragmatica fieret, Regno non suberant. Quapropter Leo X. ad Consistoralia harum Provinciarum beneficia, Clemens VII. quoque ad Abbatias, & Episcopatus, quorum Capitula peculiaribus eligendi privilegiis fruebantur nominationem indulsit. Hæ Bullæ sæpius in posterum renovatæ fuerunt, ac tandem Ludovicus XIV. impetravit ut ad omnium victarum gentium Abbatias, & Episcopatus nominaret.

In-

(a) Qui videre cupit omnes electionum regulas, atque Statuta a Pragmatica iniuncta adeat opus utillimum sic inscriptum „ Loix „ Ecclesiastiques dans leur ordre naturel par Hericourt „ *In quo animadvertere poterit plerosque canones cum decretis Inn. 3. & 4. Bonifacii 8. Honorii, & Alexandri 3. Gregorii 9.* mirifice convenire.

Interea observatu dignum est Episcopos in electionibus longe alios antecessisse, quandoquidem præter quam plurimos Hincmari conatus, progressusque in libertatibus electionum tuendis, Episcoporum auctoritas lege (a) etiam Imperatoria innitebatur. Quapropter bene factum puto eximiæ huius Episcopalis potestatis causas inquirere, cum ex istiusmodi investigatione altius repetita electionum materies illustrari commode possit.

Itaque Episcopi nascente Francorum Imperio, non modo Religionis præsides, verum etiam Civium Principes habebantur, & idcirco popularium consiliorum, ac deliberationum compotes erant, atque participes. Exitium, ac pernicies totius Romani Imperii solutas, liberasque gentes compulerat, ut aliquem sibimetipsis Ducem crearent. Galli servitutem simul, ac impietatem pertimescebant. Dum hæc cogitant, Chlodovœus eximius sane Princeps bonis omnibus visus est, Idolis quidem tunc primum addictus, sed minus quam Arianorum hæresis metuendus. Nam Idolatria a ratione

(a) Carolus Magnus in cap. sic iusserat ,, In electione Episcop? ,, assensio Regis sit non electio, in Episcoporum vero execut.one sit ,, electio, sicut & ordinatio ,,.

morumque integritate penitus abſona iam mole ſua ruens ad Occaſum vergebat, ideoque facilius Idolatræ, quam Ariani Principis ad veram Religionem converſio expectari poterat. Quibus rebus probe perſpectis evenit, ut Eccleſiaſtici, opibus, & auctoritate potentes benevolentiam, honoremque veluti Principi debitum Chlodovæo libenter præſtarent; ac viciſſim Chlodovæus gratus, liberalis, comiſque eſſet in eos de ſe optime meritos clariſſimos, atque digniſſimos viros. Exinde, ni mea me fallit opinio, profectum eſt, ut in Galliis Epiſcopi tam valida auctoritate pollerent. (a) Neque minus tamen in Germania bene ſemper ſunt habiti. Incredibile enim dictu eſt, quantum Germani Imperatores illis tribuerint, quod ita ſubditorum fidem, & obedientiam diuturnam, firmamque fore duxerunt: Quare in Regionibus, quas armorum vi ſuperaverant, ſtatim Epiſcopos conſtituebant. (b) Quapropter ſumma erat Clero, Populoque cum Principe voluntatum, ſtudiorum, ſententiarumque conſenſio. Porto Colonienſe Concilium ann. 887.

(a) Conc. Valentinum an 855.

(b) De hac auctoritate Epiſcoporum ſimul, & modeſta egregie praecoeteris differit Thomas Bilſonius in libro, quem inſcripſit „ de perpetua Eccleſiae gubernatione „.

887. a Clero Mendensi electum fuisse Episcopum Drogonem Presbyterum perhibet; Divumque Heribertum Coloniensem Archiepiscopum *una omnium voce*, *una voluntate* inauguratum fuisse testatur Surius die 19. Martii c. 5 cumque eo tempore Imperator Otho III. in Italia moraretur gratias egisse Deo fertur, quod Clerus, Populusque tacitis animi sui votis obsecundassent. Nec aliter se gesserat Otho II. ut videre est apud Surium die 31. Octob. c. 15. in vita Volfangi. Othones itaque Imperatores Caroli Magni pietatem imitati, Ecclesiasticam libertatem sancte, inviolateque tutari maluerunt.

Anglia vero, cum ab annis plusquam sexcentis nonnisi Francicæ originis Principibus pareret, inde mira in Ecclesiæ Gallicæ, & Anglicanæ disciplina consensio perseveravit. Vuillelmus enim Malmesburiensis scriptum reliquit, Odonum cunctis Cleri Populique, Regis, & Episcoporum suffragiis Cantuariensem Archiepiscopum designatum; nec Dunstani ad eandem Sedem electio dissimilis extitit; Namque illæ enixis Edgari Regis precibus non paruit, priusquam Episcoporum adsensus ac-

cederet (*a*). Qui Beati Lanfranci vitam literis mandaverunt, memorant Concilium Castri Regii Vindsorii an. 1070. habitum, in quo Rex Vuillelmus Nhotus, Legati Pontificii, & Episcopi eundem Lanfrancum Archiepiscopum Cantuariensem elegerunt. (*b*) Vuillelmi vero Filius, qui Patri in Imperio successerat, cum omnium foret expers virtutum Capellanis suis, vel ambitiosis Aulicis Episcopatus plerumque conferebat, neque eam rem Religioni unquam habuit. Electionum vero libertatem sub Henrico I. quodammodo restitutam, reliqui iterum sustulere, donec Pontificiæ initæ *reservationes* sub Eduardo 2. & 3. Reges adduxerunt, ut in agendo temporibus inservirent. Cum diu Romani Pontifices Avenione fuissent commorati tenuitate, atque inopia Italicorum redditUum factum est, ut sustentari amplius non possent, nisi maiores *prælaturas*, aliasque *beneficia* locupletiora privati sui iuris facerent. Contra Anglicani Reges cum Episcopos desiderarent sibi di-

(*a*) Scriptor vitae eiusdem Dunstani mirificam Regibus potestatem in Episcopis nominandis adscribit, quemadmodum aliunde patet simplices electiones Episcoporum arbitrio factas fuisse.

(*b*) Polidor. Hist. Angl. lib. 11.

ditissimos, quos tuto ad Regia consilia, & Provinciarum comitia adhibere possent, idcirco an. 1390. & 1391. sub Richardo II. Eduardi Filio vetitæ *provisiones beneficiorum*, quas Roma iam efflagitare consueverat.

In Hispania Episcopi Provinciales, atque etiam finitimi dare vacantibus Ecclesiis solebant Episcopos. Scriptor enim vitæ clarissimi Martyris Eulogii electiones ipsis tantum tribuere non dubitat. Qua de re non solum in Gallia, sed etiam in Hispania Capitularia Caroli Magni recepta esse non obscure videntur. In iis enim sic legitur „ Episcopi iudicio Metropoli-„ tanorum, & eorum Episcoporum, qui „ circumcirca sunt, provehantur ad Ec-„ clesiasticam potestatem „ nisi potius asserere velimus, Hispanos Episcopos Antiochenis, & Sardicensibus Constitutionibus adhæsisse, in quibus perfecta inter vicinarum Provinciarum Antistites communio, charitasque commendabatur. Victis deinde Mauris, Christianaque Republica amplificata, magnis privilegiis, iuribusque Hispani Reges gaudebant. Nominatio ex iurispatronatus regulis sæpe oriebatur, adeo ut contemni non debeant.

Eru-

Eruditissimi, acutissimique totius Hispaniæ iuris Intepretes Ferdinandus Vasquez, & Didacus Covarruvias, ille Contr. illust. par. 1. lib. 1. cap. 22. hic vero T. 1. part. 2. Relect. c. Possess mal. fid. §. 10. id tanti faciunt, ut hoc solo nomine Hispaniarum Regibus omnes Regni Episcopos constituendi ius asserant. Rigidi tamen illi Canonum custodes Gregorius VII. & Alexander II. nullam aliam reliquere Arragoniæ Regibus facultatem nominandi Ecclesias, quam ad illas, quas a Mauris recepissent. Cœterum Populus, Clerus, Regesque electionibus aderant, & si qua suborta esset dissensio, Romano Pontifici id nuntiabatur, qui munus Metropolitano congregandi Comprovinciales Episcopos, litemque dirimendi iniungebat. Quandoque etiam Metropolitanus, inconsulto Rege, Populoque electiones peragebat, quod quidem moleste a Civibus ferebatur. Igitur Romani Pontifices proprio arbitratu frequenter admodum se gesserunt usque ad tempora Petri Castellæ Regis, cognomento crudelis, de quo hæc habet Mariana: (a) *Episcopos Militares Magistros Priorem Hospitalarium instituendi, aliave maiora Sacerdotia do-*

(a) An. 1367. lib. 17. c. 11.

donandi nisi Regum accedente consensu Pontificibus Romanis potestas sublata. Plures *reservationum* causa inter alios Reges, Pontificesque concertationes identidem sunt excitatæ, quas tamen brevi sedari potuisse compertum est. Etenim si Principes ab æquitate aliquando recederent, Pontifices ea prudentia usi sunt, ut nec officio deessent suo, nec Reges exasperarent. Quare observatum est a Mariana ante *Concordata* quibus nominatio ad Episcopatus, & Abbatias Regibus conceditur, idem fuisse usitatum, atque crebriores tantummodo fuisse dissensiones, & gratiæ *redintegrationes*. Id plane comprobatur exemplo Isabellæ Reginæ virtutum fama, rerumque gestarum laude commendatissimæ, quæ cum Toletanum Archiepiscopatum Francisco Ximenio conferre exoptaret, ea de re scripsit ad Pontificem, a quo Rescriptum impetravit, huiusmodi præfixo titulo: *Venerabili Fratri nostro Francisco Ximenio electo Toletano*. Nec multo post Alexander VI. eidem Ximenio scribens hæc habet (*a*). *Sedes Apostolica te de inferiori statu ad Archiepiscopalem dignitatem erexit*.

Su-

(*a*) Gomez lib. 1. de gestis Ximenii.

Supereſt nunc agendum de acerrimis contentionibus Pontifices inter, & Imperatores *Inveſtiturarum* cauſa subortis. Interea temporis memoria repetatis oportet teterrima opinionum, & ingeniorum certamina, (*a*) effrenatam, præcipitemque bellorum licentiam quæ maximam Europæ partem vehementer vexabant (*b*). Germania, quæ firmis vallata præſidiis videbatur ob eam, quam obtinebat in Italia dominationem, nomenque Imperatoris, quod Principes eius gerebant, cito ſenſit, ſeſe ea de cauſa viribus debilitatam, fractamque.

Quippe Imperium adeo amplificatum mole ſua laborare cœpit ac plurimis perturbatum diſſidiis, ſubditorum defectione tandem diſſolvi. Gallia diſtractis poſt Caroli Craſſi depoſitionem Provinciis, in feudalem adminiſtrationem inciderat. Tali autem pacto Europa reliqua regebatur. Rector, ſeu Dominus præerat exiguis multis Principibus, qui dicebantur Vaſſalli, quique continua bellorum ira ſollicitati damna invicem afferebant, terraſque depopu-

(*a*) Iam exarſerat haereſis nominalium, & Berengarii Archidiaconi Andagavenſis, qui controverſiam de praeſentia reali in Eucharistia renovavit.

(*b*) Hae publicae calamitates multis religioſis familiis instituendis anſam forſitan praebuerant.

pulantur. Luctuosum Civitatum omnium spectaculum, quas aut sœva, multiplexque Tyrannis oppresserit, aut everterit Anarchia nobis exhibet semper Italia.

Fieri non poterat, quin hæc rerum politicarum confusio Ecclesiasticum regimen perturbaret, ac propterea modo Principes, summique Magistratus, modo Episcopi, aliique Ecclesiarum Ministri sacris in electionibus prævalerent. In his ergo maximis calamitatibus Regius consensus neglectus, ut in electione Paschalis I. Stephani VI. Nicolai I. Ioannis VIII. accidisse exploratum habemus. Verum tamen est infandam, Sæculi x. labem, & corruptelam omnia demum penitus perdidisse, donec Otho I. afflictis Italiæ rebus succurrere instituit. Priusquam tamen de Othone loquar, prænotandum est Henricum I. eius antecessorem non antea Imperatorem voluisse appellari, quam a Pontifice ad liberandam Italiam, coronamque triumphalem accipiendam honorificentissime invitaretur. Inauguratio enim tamquam necessaria conditio ad titulum Imperatoris adipiscendum existimabatur. Otho igitur. I. cum Romam venisset an. 962. denuo constituit, assentiente Leone VIII. ut corona a Romano Pontifi-

tifice imponi solita, deinceps Imperii præseferret insignia. Imo id etiam a Pontifice impetravit, ut libere investiret omnium suarum Provinciarum Episcopos, quemadmodum Carolus in Germania, & in toto Francorum Regno idem ab Hadriano obtinuerat (a). Marsilius Patavinus in tractatu de translatione Imperii cap. 8. *Carolus ait prima concessione, videlicet Romani Pontificis ordinandi non fuit usus, de secunda vero Episcoporum nempe installatione se aliquando intromisit, ut ex ipsius gestis in plerumque locis apparet*. Gratianus vero dis. 36. Can. *Reatina*, & Stephanus Papa his præcipue verbis, *Imperiali primum percepta corona, & Imperatoria directa Epistola* adeo Principum iura corroborant, ut ea etiam doctissimus Carnotensium Episcopus Ivo epis. 55. ad Archiep. Lugdun. Romanæ Sedis legatum pro *investituris* afferat (b). Eadem ve-

(a) Sic Waltramus, Matthaeus Parisiensis, & Nauclerus arbitra ntur. Minime vero, ut aliqui putant, id etiam Carolo concessum in Hispania; hoc enim optime refellitur a Covarruvia T. I. part 2. Imo potius credendum, novum hoc investiturae ius ad Episcopos Italiae tantum Provinciae, quae Pontifici subiiciebat respexisse, non autem ad reliquos Germaniae Galliaeque, ipsiusque Italiae Episcopos. Goldastus in suo Rationali ad Italiam totam Pontificis constitutionem extendit, minus tamen recte.

(b) De Ivonis autem in hac materia opinione vide etiam Petrum de Marca lib. 8. cap. 19. aliasque doctissimorum hominum senten-

vero utriusque Constitutionis Hadriani, & Leonis ratio est. Adepti sunt itaque Carolus, & Otho, quidquid liber Populus in Regem, vel Principem transfert, dum ei, summum Imperium concedit (*a*). In Germania vero, & reliqua Italia Regio iure utebantur.

Hæc antem *Investitura* (*b*) baculi, & annuli traditione in Episcopi manus perficiebatur, ac defuncto Episcopo in more positum fuit, ut bàculum & annulum ad Principis aulam referendum Primores Civitatis curarent. Quid autem iure illo investituræ in Episcoporum electione potissimum Imperatoribus, aut Regibus licuerit inter nonnullos disceptatur. Eorum sententia nobis arridet, qui asserunt ea traditione Principes immisisse in temporalem Ecclesiasticorum bonorum possessionem. Quin autem illi non raro hac potestate, abusi fuerint, nec veterum monumenta, nec pravi mores, qui frequenter in aulis ob-

G vim

---

tentia refert. Thomass. part. 2. lib. 2. cap. 32. Investituram defendit Ludovicus Maimburgius, *dans l' Istoire de l' Empire lib.* 2. *ad annum* 1080. *p.* 273. *Edit. Paris.*

(*a*) Marsil. Patav. in defens. Pacis part. 2. cap. 24.

(*b*) Hanc *Investiturae* vocem non bene Baronius asserit Hadriani aevo ignotam fuisse. Eadem enim habetur in Cod. Legum Wisigoticarum, Longobardicarum, & in cap. Car. M. & Lud. Usosquoque hac voce Monacos S. Galli in antiquis membranis quae T. 2. rerum Alamannicarum reperiuntur monet Goldastus.

tinent, dubitare nos ſinunt (*a*). Eam tamen vim eſſe Iuris *Inveſtituræ* compertum eſt, ut numquam aliquis, licet a Clero, Populoque unanimi electus ſuffragio prius conſecrari poſſet, quam conſtaret hunc ex Imperatoris conniventia Epiſcopum eſſe debere. Conſenſus vero indicium erat baculus annulluſque Epiſcopo traditus. An vero ritus ille a Carolo M. aut poſteriori ætate manaverit, adhuc ſub Iudice lis eſt. Negat Baronius hac ætate id uſu receptum; veriſimile tamen eſt Caroli, & Ludovici Pii tempore hanc viguiſſe conſuetudinem, cum Ludovicum iuniorem Germaniæ Regem hunc in Epiſcopis inveſtiendis ritum uſurpaſſe conſtet (*b*). Qua vero hac in re Caroli M. ſucceſſores facultate pollerent ex hactenus dictis colligi poſſe videtur (*c*). Annotandum tamen eſt quod ubi *inveſtitus* eſſet electus Epiſcopus, & iuramen-

Pro-

(*a*) Nicolaus I. Lotharium, quod minus idoneos Epiſcopos elegerit obiurgavit, ut videre eſt diſ. 63. cap. 4.

(*b*) Teſtis eſt Albertus Stadenſis his verbis „ Rembertus Bremenſis Archiepiſcopus Pontificale Pallium a Nicolao papa ſuſcepit, ferulam vero Paſtoralem a Caeſare Ludovico „ Crantzius vero cum de eodem Remberto verba faceret in ſua Metropoli lib. 2. cap. 2. ferolam Paſtoralem interpretatur *feudalem Inveſtituram*, & lib. 2. cap. 19. id olim, ait, *Infeudationis* ſignum fuiſſe.

(*c*) Conſulatur Luitpertus Epiſc. ad Cler. & Pop. Colonien. apud Reginonem lib. 2. & Hincmari Epiſtola quam Baronius tranſcribit T. 9. an. 814.

tum præſtitiſſet (id enim quoque neceſſarium erat) nihil amplius quidquam præter conſecrationem a Metropolitano, vel Provinciæ Epiſcopis faciendam deſiderabatur.

Ad Plebem autem quod attinet Mathias Flacius Illyricus tam in *Catalogo Teſtium veritatis*, & in *Centuriis Eccleſiaſticis*, tum ſingulari ſcripto ſibi demonſtrandum propoſuit Epiſcoporum electionem non ad Eccleſiaſticos tantum, ſed & ad Laicos pertinere, (*a*) eodemque electionis iure eos a Chriſti tempore per annos 1300. libere uſos (*b*). In comperto autem eſt, ut tra-

 dit

(*a*) Adeantur etiam Epiſtolae Sancti Fulberti 28. 30. 131. 132.

(*b*) Populorum in electionibus poteſtas deducitur ex cap 5. diſ. 51. cap. 13. & 16. diſ. 61. cap. 1. diſ. 62. cap. 9. 12. 15. 26. 27. 34. diſ. 65. can. 4. diſ. 65. can. 13. c. 7. q. 1.

Ex Epiſtolis 202. 275. 282. aliiſque Divi Bernardi eruitur eundem vehementer exoptaſſe, ut ius illud; quod inter Populum Clerumque dividebatur, totum fere in Clero, Monachis, atque Epiſcopis reſideret, ex quo paulatim factum eſt, ſaeculo XII, Populus ab electionibus arceretur. Cum autem ex Chrodogangi temporibus, quibus vita Canonica introducta fuit arctius inter Epiſcopum, Clerumque vinculum intercesſerit, hinc accidit progreſſu temporis, quod Canonici regularem vitam ſenſim abiecerint, atque aetate Othonis 2. iam, Trithemio teſte, ſplendide vixerint, adeo ut electionem ſibi ſub Friderico 2. ſicut aperte patet ex eiuſdem aurea bulla *de libertate Eccleſiaſtica*, potiſſimum vindicaverint, haud dubie connivente Pontifice.

Euſebius Epiſcopus Vercellenſis, ſanctitate, & doctrina Clariſſimus, qui Catholicam fidem contra Arianos propugnavit Canonicorum Inſtitum primus invenit. Nec aſſentiri poſſum Thomaſſino par. 1. lib. 3. cap. de Beneficiis, qui aſſerit Canonicos tunc temporis non fuiſſe Clericos, qui iuxta Monaſticas regulas viverent, verum Monachos, qui munerum Clericalium vice fungerentur. Vide T.

nitio

dit ex Frodoardo Baronius T. 10. an. 922. quod Imperator, quem Clerus, Populusque elegerat, quotiescumque minus sibi acceptus esset reiicere iure, meritoque potuerit. Existimarunt igitur Imperatores, & Germaniæ Reges iniquum non esse electiones rescindi, si absque eorum consensu celebrarentur, vel si electum non satis illo munere dignum nossent. Hinc Otho Magnus Imperator edixit, ut illæsa semper maneret in hisce negotiis Imperatoris auctoritas (*a*). Pontifex vero si quemquam dignissimum eligendum cuperet, Imperatoris animum saltem consulere solebat (*b*). Ipsi

---

4. Latinorum Anecdotorum L. Muratori. Eusebium deinde imitatus est Augustinus; Igitur non recte putant nonnulli. Canonicos initio saeculi VII. floruisse. Praeterquamquod habetur ex Historia Episcoporum saeculi 6. quam edidit Mabillonius quod „ Agericus „ vendidit portionem Villae, quae Sancti Martini fuit, & venditio„ nem cum Canonicis scit fecit „, Gregorius Turonensis lib. 10. memorat saeculo 6. mensam Canonicorum Ecclesiae Bituricensis, & Turonensis.

Ludovicus Caroli M. Filius in Aquisgranensi Concilio ao. 816. apud Balutium, Monasticam vivendi methodum dilatare plurimum studuit in Gallis, & Italia, Opinatur in *voce Canonici* cl. du-Cange iisdem temporibus institutos fuisse Regulares Canonicos, illos nempe, qui D. Augustini regulam profitebantur, eoque diversos fuisse a Saecularibus Canonicis; verum haud nimis validis innixa fundamentis eius sententia videtur.

Quare autem Plebs ab electionibus exclusa fuerit vide Xixtum Senensem Bibliot. lib. 5. D. Hieronym. lib. 1. adversus Iovinianum & Possidium in vita Augustini cap. 53.

(*a*) Goldastus T. 3.

(*b*) Asseritur hoc a Wiberto Archidiacono in vita Leonis IX. cap. 8.

Ipſi quoque Romani Pontifices quotquot a Leone VIII. uſque ad Gregorium ſeptimum ſunt ſubſequti vel ab ipſis Imperatoribus (*a*) Cleri, Populique Romani non expetitis ſuffragiis ad Apoſtolicam Sedem evecti fuere, vel licet eoſdem Clerus elegerit, Populuſque, (*b*) conſenſu tamen Imperatoris ſemper indiguerunt. Verum

G 3 cum

(*a*) Teſtis Onuphrius Panvinius in vita Gregorii VII.

(*b*) Ex innumeris Romanorum Pontificum electionibus id confirmatur. Presbyteri Romani in epiſt. ad Honurium Imperatorem a Baronio relata Tom. 5. an. 419. Bonifacii I. electionem Populi votis celebratam fuiſſe narraverunt. Conſtantinus IV. Imperator ad Benedictum 2. nuper electum ſanctionem miſit quemadmodum refertur a Platina, ut quem deinceps Clerus, Populus, Exercituſque Romanus Pontificem delegiſſent, eum ſtatim pro legitimo Chriſti Vicario omnes venerarentur. Anaſtaſius in Ioan. V. fidem facit, eundem Populi Romani ſuffragiis creatum fuiſſe, nec diverſimode Cononem, Sergium I. Hadrianum 2. alioſque complures.

Statutum autem fuit diſ. 79. Cap. 3. 4 & 5. quibuſnam praerogativis exornatus eſſe deberet qui Romanus Pontifex eſſet eligendus.

Florus apud Baronium T. 12. in App. an. 813. quae hucuſque in medium protulimus plane confirmat. Leoni IX. quem Imperator elegerat, Monachi quidam obviam facti perſuaſere, ut ornatu Pontificali depoſito, privatus ingrederetur, quod dicerent (teſte Platina in eodem Leone) Imperatorem nullam creandi Pontificis poteſtatem habere, ſed id ad Clerum, Populumque Romanum ſpectare. Nec Nicolaus 2. in *Reformatione* circa Romani Pontificis electionem a veteri inſtituto diſcedit. Idem comprobatur a Petro Damiano de elect. Papae apud Baronium T. 2. an. 161. „ Per Epiſcopos Cardinales fieri debeat principale iudicium, ſecundo loco iure praebeat Clerus aſſenſum, tertio popularis favor adtollat applauſum „. Innoc. 2. fuit Romanorum Pontificum I. a ſolis Cardinalibus electus acerrimis, electionis cauſa, tunc turbis Romae excitatis. Novam Pontificis eligendi formam conſtituit Alexander 3. in Conc. Later. 3. an. 1179. Can. I.

cum tota fere in Principum arbitrio Episcoporum electio fuerit constituta, mirum utique non est, si eorum aliquis modum excessit, si quid simoniacæ labis irrupit, si denique indignis quandoque tam ardua officia commissa fuerint. Duaren. lib. 1. cap. 6. de sacris Ecclesiæ ministeriis, Imperatoribus exprobrat, quod nulla habita veterum Canonum ratione, indignissimos quosque promoverint (*a*). Extra omnem tamen dubitationis aleam positum est, Imperatores adeo sibi electiones competere contendisse, ut Henricum II. licet eis præditum virtutibus, ob quas Sanctorum Fastis adscriptus fuit, nihil de suis iuribus remisisse, nos doceat Historia (*b*).

Neque tamen sola Regiæ potestatis vi Imperatores Episcopos constituere poterant, sed eo etiam quod essent Ecclesiarum Patroni (*c*). Liquet autem omnibus tres esse præcipuæ Patronatus causas (*d*) fundationem,

(*a*) Peccasse ea in re Parentem suum Conradum 2. fatetur ipsemet Henricus Imperator apud Glabrum Rudolphum lib. 5.

(*b*) Breviter Gobelinus Persona Cosmodromii aet. 6. cap. 52. haec habet. *Meinvercus* a Rege Henrico Episcopatum per Chirothecae traditionem suscepit.

(*c*) Duarenus de Sacris Ecclesiae beneficiis, ac Ministeriis Cap. VI. probare conatur, haud quaquam Principes hallucinari, si eligendorum Episcoporum curam ad se pertinere opinentur.

(*d*) Communis est eruditorum sententia, quod Dioecesibus in distin-

nem, ſcilicet, dotationem, & ædificationem, quæ omnes quibus nam rectius, quam ſummis Reipubblicæ Principibus poſſunt convenire (a). Itaque ex iis omnibus illud deduci poteſt, quod quibuſdam æquitatis regulis inveſtituræ nitebantur: Nihilominus Gregorius earum memoriam delere conſtituit, quod Eccleſiæ libertatibus nimis infenſæ viderentur (b).

Contra vero cum Germaniæ Imperatores illas acriter propugnarent, hinc diuturnæ nimis, graveſque ortæ contentiones, atque certamina. Sinite tamen, ut totius huius Hiſtoriæ narrationem, & bella præ-

 te-

ſtinctas Provincias diviſis, rurique fundatis Eccleſiis iuſpatronatus originem nacta ſit. Conc. Neoceſ. nominat ἐπιχώριους πρεσβύτερους quos Graeci Canoniſtae interpretantur ſimiles iis, qui dein ruralibus Eccleſiis praefuerunt. Hoc autem Concilium decem ante Nicaenum annos convocatus fuit.

Conſtitutione Imperatoris Zenonis Patronatus iura accomodata fuiſſe conſtat recens factis Proviſionibus, ſeu dotationibus; Haec autem conſtitutio ſubinde confirmata fuit ab Iuſtiniano; variis poſtremo Canonibus eiuſdem Patronatus iura in certum ordinem quodammodo diſtribuit Conc. Tolet. an. 650. Vide Eduardum Stillingfleet *Unreaſonableneſs of ſeparation part.* 3.

(a) Quin Principes praecipueque Francorum Reges in ditandis Eccleſiis munifici adeo fuere, ut Childebertus de damno, quod inde in Regno exortum fuerit graviter conquereretur. Provocavit iam olim quoque ad hoc iuſp. Eduardus Angliae Rex in conſtit. a Goldaſto relata. T. 3. conſtit. Imper. Digna ſunt, quae legantur verba Stephani Abbatis Leodienſis in vita Modoaldi Tervereníis Epiſcopi cap. 64. vide etiam Thomaſs. vetus, & nova Eccl. diſci. part. 2. lib. 1. cap. 29. & ſeqq.

(b) Thomaſs. in oper. cit. part. 2. lib. 2. cap. 24.

teream, quæ inter Urbanum, Paſchalem, Gelaſium II. & Henricum IV. & V. ſuborta fuerint (*a*). Controverſiæ autem finis impoſitus in Conc. Lateran. an. 1122. ſub Caliſto II. in quo Statutum, ut *Epiſcopi per Sceptrum, non autem per baculum, annulumque acciperent inveſtituram* (*b*).

Neque ſententiæ adhærere poſſum M. Antonii de Dominis opinantis, quod Calliſtus

(*a*) Qui huiuſce rei Hiſtoriam videre cupit adeat Sigibertum Gemblacenſem in Cron. an. 1111. Abbatem Urſpergenſem in eodem anno, & Waltramum Epiſcopum Nanburgenſem eorum temporum Scriptorem.

(*b*) Qui Eccleſiaſticam Hiſtoriam perlegerit, mirari ſatis non poterit Eccleſiaſticae diſciplinae viciſſitudines; attamen ingenue fateor, quod Eccleſiaſtici Praeſides, ac Religionis Miniſtri temporibus prudenter inſerviendo pietatem ſedulo, ac Sacerdotalem dignitatem prae oculis habuerunt.

Valentinianus in primo Romanae Eccleſiae certamine poſt comparatas divitias, ſchiſmate ferveſcente inter Damaſum, & Urſicinum Iudex inſurrexit, ac Damaſum in Sede confirmavit. Baron. T. 5. an. 418. & 419. Baſilius Patricius Praefectus Praetorio Odoaeris nomine Romanos admonuit, ut ad electionem novi Pontificis non devenirent, niſi prius de perſona eligenda ipſum conſuluiſſent. Theodoricus ipſe ad comprimendos tumultus poſt Simplicii mortem Symmachum inter, & Laurentium excitatos, Symmachum Romanum Pontificum eligi iuſſit. *Caſſ. lib. 8. ep. 15. Theod. lect. coll. l. 2. & Platina in Symm.* vide etiam Ioan. Diac. in vit. Greg. lib. 1. cap. 39. & 40 *Non enim* inquit Aimonius lib. 3. cap. 74. *licebat tunc temporis abſque Conſtantinopolitani Principis iuſſione ad Pontificatum promoveri.* Nicolaus magnanimus iurium Eccleſiaſticorum Defenſor, nihilominus inveſtituras admiſit. Iuſtinus vero Imperator, de cuius pietate Legati Apoſtolici Pontificem certiorem fecerunt, poſt protracta ultra tres menſes a Patribus certamina, ſua tantum auctoritate, quemdam Presbyterum Paulum nomine Epiſcopum fieri iuſſit in Eccleſia Antiochena.

ſtus 2. pactis cum Henrico initis, parum obtinuerit. Lotharium enim Saxonem Imperatorem, præter Onuphrii Panvinii, Paulique Æmilii teſtimonia) qui proximus in Imperio Henrico ſucceſſit, etſi religioſus eſſet, & Romanæ Sedi, ſi quiſquam alius obſervantiſſimus, cum tantam æquo animo iacturam ferre non poſſet ab Innoc. Papa ur, ſibi reſtituerentur Inveſtituræ importune inſtitiſſe tradit ex Bernardo Bonevall. Baronius an. 1131. Neque ſatis conſtat quod futurum fuiſſet, ſi optimo Imperatori diuturnior vita contigiſſet. Hinc tota Imperatorum auctoritas ex conventione cum Caliſto inita eo redacta fuit, ut orta in electionibus diſſenſione is pro electo haberetur Epiſcopus, cui Imperator gratificaretur (a). Sed Friderici exemplum hac in re ægre tulit Eugenius, inutili tamen conatu obſtitit. Fridericus enim ſtrenuus iurium Imperii defenſor obſequi Pontifici noluit. In cæteris, quæ ad Epiſcoporum Germaniæ electionem attinent, nullæ amplius videntur extitiſſe diſcordiæ. Nam quod Hadrianus IV. Nauclero, & Baronio referente ſcribit ad Fridericum, ſolos Italiæ Epiſcopos re-

(a) Probatur id exemplo Lotharii Imperatoris & Conradi 3. Crantzius in Metrop. lib. 6. cap. 12.

ſpicit. Cœterum ea tempeſtate, qua Gregorius IX. anteriora Pontificum Decreta reſcidit, Populis adempta fuere ſuffragia, ac Imperatoria corruit auctoritas. Occaſionem vero præbuerunt teterrima Principum diſſidia, quæ ex diſtractis in Imperatoris electione ſtudiis plerumque oriebantur (*a*).

Mala autem ſub Rodulpho Imperatore magis increbuere. Invaluerunt enim *Proviſiones*, quæ nimis in eligendo Eccleſiarum libertatem imminuebant. Revera Germani quis fuerit *Proviſionum*, & *Reſervationum* fructus experti libertatem illam extenuatam deplorarunt. Tam frequentes enim erant illæ *expectativæ gratiæ*, ut alium eligerent Epiſcopum Cathedralium Eccleſiarum Capitula, (*b*) alium Pontifex Roma, vel Ave-

---

(*a*) Epiſcoporum confirmationem, & conſecrationem tunc temporis ad ſe pertinere etiam voluiſſe Pontifices teſtatur Crantaius, in Metrop. lib. 7. cap. 42.

(*b*) De triplici eligendi forma per compromiſſum, per inſpirationem, & per ſcrutinium a Conc. Later. præſcripta vide Bernar. Van- Eſpen Ius Eccleſ. univer. par. 2. tit. 21. cap. 3. & 4.

Poſt Apoſtolorum tempora nulla, vel pauciſſima ſupereſſe veſtigia electionum per ſortes probat Dodw. diſſ. 1. in Cypr. Verum ex Conc. Barcinon. c. 3. ann. 599. colligere poſſumus aliquando hanc eligendi formam uſitatam fuiſſe in Hiſpania. Exempla autem electionum per inſpirationem Hiſtoria ſuppeditat in Gregorio Thaumat. Alexandro Hieroſol. & Fabiano Romano. Vetus Eccleſia quandoque ſelectione *primitiarum ex converſis gentilibus*, frequentius vero per communia ſuffragia Epiſcopos ordinavit.

venione mitteret, multis ſane munitum *Bullis*, quibus refragari piaculum habebatur. Nihilominus interdum accidit, ut uterque Epiſcopus, tum quem Capitulum, tum quem Pontifex elegerat, ius ſuum nullo pacto vellet remittere. Hoc ingentes turbas peperit, adeout bella quandoque cum maximo Eccleſiæ detrimento eruperint. Exinde etiam factum eſt, ut pluralitas beneficiorum, quorum aliqua Commendarum (*a*) veniebant nomine plurimum invaluerit (*b*), &

bus

(*a*) Commendarum haec fuiſſe videtur origo. Cum Epiſcopus aliquis quacumque impulſus neceſſitate Romam adiviſſet, ſi ibi vita functus eſſet, itineris ſocium illius vice eligere Pontifex coepit. Frequens hoc in Anglis, & in Galliis, Urba. 2. apud Ivon. epiſ. 1. & 21. lutet. ad Ivon. epiſ. 1.

Quid Leges a Carolo M. & Ludovico conditae iuſſerint vide diſt. 63. c. ſacrorum. Et S. Ludovici Pragmatica ad finem prag. Caroli Biblioth. PP. T. 6. decernit, *Ut Eccleſiarum Regni noſtri Praelati ius ſuum plenarium habeant, & unicuique ſua iuriſdictio ſervetur*.

Verum in ſuis primordiis nequaquam magni momenti res habita fuit; quandoquidem Papa non extero Viro vacantem dignitatem impertiebatur, quin contra ſummi Imperantes, & Epiſcopi grati animi teſtimonio, quis ipſe tandem populos ab electionibus excludere valuiſſet, libenter id concedebant, Exinde mos introductus, ut aliquem vel Regibus, vel Epiſcopis Pontifices commendarent, ut ipſi beneficia conferrent, ſed adeo frequenter, ut totam fere eligendi facultatem Epiſcopi amitterent.

(*b*) *Coadiutoriae* etiam hiſce temporibus originem habuerunt. Ceſſiones Epiſcopatuum olim prohibitas fuiſſe, docet Cyrillus Alexandrinus in Epiſt. ad *Domnum*. Interdum tamden occaſiones emergere poterant, quibus a ſummo illo iure recedendum foret ex. g. ſi ea Epiſcopus laboraret infirmitate, ut ſuo muneri demandatis oneribus ſuſtinendis impar efficeretur. Haec enim ipſa difficultas coegit

Pam-

Episcoporum translationes (*a*) ex tenuioribus in opulentiores Ecclesias sæpissime factæ fuerint (*b*).

Quæ-

Pamphiliae Synodum, ut Eustathii Metropolitani sui *resignationem* admitteret, idemque constat ex Conc. Ephes. & Constant. sub Photio, & ex Pelagio, Gregorio, aliisque.

(*a*) Eo vero tempore *resignationes* ad favorem reiiciebantur Can. 23. Conc. Antiochen. Et quamvis Augustinus sibi successorem delegisset in sua tamen ad Hipponensem Episcopatum promotione Nicaenos Canones violatos esse fatetur epis. 34. non quia Valerio successor designatus esset, sed quod Episcopus una cum illo fuerit. Canones enim, & universae Ecclesiae disciplina unum tantum Episcopum residere in quacumque Civitate voluerunt, paucis quidem exceptis casibus, aut ad aliquam diripiendam controversiam, aut ad inveteratum Schisma tollendum. Cypr. suis in Epist Chrysost. epis. 125. Conc. Nicaen. can. 8. Thend. lib. 2. c. 14. Revera Augustinum *novo more provectum* testatur Divi Paulini Epist 27. Hic enim abusus introducebat in Ecclesiam successiones haereditarias, quod in Synod. Rom. sapienter improbavit Hilarius. Vtut se res habeat exemplo Augustini & Conc. Meldensis auctoritate facultas dandi Coadiutores cum futura successione ad Provinciae Synodum pertinnit, quemadmodum *renunciationes* olim admittere poterant Metropolitani, quas nunc Apostolicae Sedi reservavit Innocentius III.

(*b*) Episcoporum translationes antiquitus vetitae erant. Vide Nicaen. Synod. Can. 15. Antio. 16. & 24. Ancyr. Can. 18. Sard. Can. 1. & 2. & Calched. Can. 5. relatos in biblioth. iuris veteris Canonici T. 2. Christophori Iustelli. Verum hi Canones locum habebant si avaritia illecti, aut ambitione incitati Episcopi ex una in alteram Ecclesiam commigrarent; si vero Ecclesiae utilitas id postulasset translatio minime condemnabatur. Socrat. lib. 1. cap. 35. & 39. Theod, lib. 5. c. 4. & 8.

Ex Conc. Carth. 4. Can. 27. huius utilitatis cognitio ad Synodum Provinciae pertinebat. Nunc vero ad solum Romanum Pontificem pertinere hoc ius separandi coniugium inter Episcopum, & Ecclesiam pronunciavit Innoc. III.

In cap 2. de elect. Raymundus decretalium Gregorii IX. Compilator poenam nimis asperam putans infligi solitam in eos qui ex una in alteram Ecclesiam se transferebant, contra Graecorum, & Latinorum Codicum testimonia addidit e proprio penu, *nisi de hoc poenituerit*.

Quædam igitur Fridericus III. cum Cardinali Joanne Carciajal Legato a latere Pontificis in Germania an. 1448. inivit pacta, quæ *Concordata Nationis Germanicæ* vulgo vocantur, denique a Nicolao V. adprobata, in quibus non quidem *provisiones* omnes, & *reservationes* e medio tolluntur, sed uti ait Henricus Canisius in Notis ad hæc concordata; *certus modus adhibetur super Provisionibus, & Reservationibus Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum.*

Imperatori recens electo ex Apostolica authoritate, & antiquissima consuetudine conceditur, ut in qualibet Ecclesia per S. Romanum Imperium, prout nunc est, ubicumque constituta, semel Personam sibi gratam, & acceptam, ceteroquin idoneam, Ordinario Collatori nominare possit. Ioan. Chokier in tr. Scholia ad primarias preces Imperatoris; Fagnanus in C. nulla n. 9. & seqq. Nauclerus vero in sua Cronographia Rodulphum 1. qui an. Domini 1273. electus fuit hoc privilegio, sub nomine primarum precum usum fuisse testatur ex probata, & ab antecessoribus ad se perducta consuetudine. Plura tamen excipiuntur beneficia, quæ sub primis Imperatoris præ-

cibus

cibus non comprӕhenduntur, ut videre eſt ex Anacleto tit. 4. cap. 20.

Huc uſque de Inveſtituris ſatis, ut arbitror, loquuti fuimus. Verum ut electionum hiſtoria abſoluta videri quodammodo poſſit, ſupereſt, ut nonnulla de Abbatum electione diſſeramus.

Caroli Magni, & ſequioribus inde temporibus tota fere Abbates eligendi facultas apud Monachos reſidebat *(a)*. Nicolaus Pontifex an. 863. Reges adhortatus eſt, ut Divinas, humanaſque Leges inviolatas ſervarent. Inſtiterunt etiam Concilia, ac potiſſimum Gall. T. 3. p. 520. ut Abbates a Monachis eligerentur; Qua de cauſa Carolus M. aut Ludovicus Pius eius Filius Abbatias omnes electionum libertate donavit *(b)*.

In dubium tamen revocari non poteſt quin Reges, atque Imperatores *(c)* vel a Pontifice impetraverint, vel certe ſibi deſum-

(a) Crantzius lib. 2. cap. 24.

(b) Conſona erat haec eligendi forma Canonicis, & Civilibus Conſtitutionibus, ut videre eſt in Leg. 47. Cod. de Epiſc. & Cler. & in Canonibus relat. a Grat. c. 18. q. 2.

Specialibus vero Conſtitutionibus tranſlata quandoque fuit in quibuſdam Ordinibus ad Generalem, vel Provincialem cum ſuis Adſiſtentibus.

(c) Vid. capit. Caroli M. L. 2. c. 85. & 86.

sumpserint hanc eligendi facultatem. Ac primum octavum inter, ac nonum sæculum sæculares non solum Clericos, sed etiam Laicos (a) Commendarum titulo iam ab ea ætate recepto Abbatias obtinuisse ex Historiis, atque Conciliis evincitur. Sane Ludovicus II. Calvi Filius, quos sibi obsequentissimos habere voluit, Abbatiis non secus, atque Comitatibus decoravit.

Post annum vero a Christo millesimum Abbatiæ plerumque a Principibus, & Patronis opulentissimis fundatæ, iis magna ex parte fuerunt obnoxiæ. Comites quidem Ducesque eas pro lubitu concedebant, adeout plurima apud Thomassinum, aliosque Abbatum, qui non a Monachis suis eligerentur exempla recenseantur. Alexander III. Ludovicum VII. Regem per litteras interpellavit, ut quæ primum vacasset Episcopalis Sedes, vel Abbatia, eam Thomæ Cantuariensi Episcopo in Galliis tunc exulanti conferret. Aliud refert exemplum Du Chesne T. 5. p. 30.

Interea non numquam Episcoporum in Abbatibus eligendis iura renovata sunt, ipsique Abbates ab ipsis erant confirmandi.

(a) Conc. Cariacen. an. 858.

di (*a*). In Gallia Rex nominat ad plerasque Abbatias quæ *perpetuum titulum* habeant. In Germania vero, quoad maiora Cœnobia integra eligendi libertas diu servata est.

Per Pontifices autem non stetit, quominus penes Monachos (*b*) facultas illa resideret, donec per Regulam III. Cancell. sibi

---

(*a*) Hi vero ex Regum munificentia Abbatias obtinentes etiam se Monasteriorum Abbates nuncupabant: Atque hinc in antiquis monumentis passim dicuntur *Abbacomites*, vel *Abbicomites* uti videre est apud Du-Change in gloss. verbo *Abbicomites*. Episcopi vero assiduo Imperatores orabant, ne ob urgens animarum periculum Laicis Monasteria concederent, illudque valde improbabant, quod a Patre in Filium Abbatiae quasi haereditario iure transirent. Undecimo tamen praesertim, & duodecimo Saeculo, vel propria, vel Romani Pontificis auctoritate sibi Abbatias, vel administrationis, vel Commendae titulo retinebant. Clemens vero V. in Constitut. edita an. 1305. omnes huiusmodi Commendas improbavit; verum Saeculo XIV. in illa rerum publicarum confusione, Commendae incrementum accepere, atque etiam post *Concordata* earum usus in Gallia permansit; Conciliumque Trident. in sess. 25. cap. 21. de Regularibus vetavit, ne in Commendam Monasteria, quae sunt Ordinum Capita concederentur. Quoad reliqua vero Monasteria iudicio Romani Pontificis res commissa fuit, uti notat Fagnanus in cap. 10. cum ad *Nostram* de elect. Et quae in posterum Monasteria vacarent voluit Synodus, quod nonnisi Regularibus spectatae virtutis, ac probitatis conferrentur.

(*b*) Aetate Ivon. Carnot ep. 73. Abbates Gallicani confirmationem, & benedictionem accipiebant a suis Episcopis, quibus fidem & obedientiam pollicebantur. At si Abbates forent exempti, & Apostolicae Sedi immediate subiecti, benedictionem quidem ab Episcopo suo recipiebant, non tamen obedientiam illi profitebantur. Professio enim, quam idem Ivo exegerat a Goffrido Abbate Vindonicensi inter ordinationis eius solemnia rescissa fuit ab Urbano II: ut scribit ipse Goffridus lib. 2. Epist. 27 Ius autem istud prorsum immutatum est, quoad exemptos, qui, ut iure novo sancitur, a Summo Pontifice confirmari debent. *Cap. statuimus de suppl. neglig. Praelat.*

ſibi reſervaverunt Monaſteria, quæ *ducentorum florenorum auri valorem* annuum excederent.

Reliqua demum minora beneficia vel Epiſcopi conferebant, vel Abbates, niſi a Principe ad beneficium vacans aliquis fuiſſet nominatus, vel ab eodem commendatus, ut beneficium data vacatione obtineret.

Abſolutis iis, quæ ad electionem ſpectabant, reſtat ut quidpiam circa confirmationem, & alia quædam, poſtremo in medium afferatur. Ac in primis priſtina mutata diſciplina, quæ per decem, & amplius ſæcula invaluerat, hodie omnium Epiſcoporum confirmatio ad Pontificem pertinet, (*a*) eaque hac fere forma perficitur. Simul ac inquiſitio de perſona promovenda perfecta, & in inſtrumentum publicum redacta fuerit ad Pontificem Romanum tranſmittitur, ut plena totius negotii, ac perſonarum notitia habita, poſſit utilius Eccleſiæ commodo providere.

Dubitatum diu fuit, per quos informatio illa, & inſtructio de nominatis ad Epiſcopatus ſumenda eſſet. Nam Patres Synodi Cameracenſis an. 1566. Mechlinien-

(*a*) Declaratur id præſertim a Gregorio VII. Epiſt. 27. 52. & 53. L. 2.

niensis an. 1570. aliarumque non crediderunt per Tridentinum Concilium solis Nuntiis Apostolicis informationem demandatam fuisse. Neque id in Gallia creditum, ut Comitiorum Blesensium Decretum an. 1576. super examinis forma constituit. Itaque Gregorius XIV. & Urbanus VIII. *(a)* Concilii Tridentini decreto inhærentes declararunt, posthac informationem non esse sumendam per Ordinarios, nisi deficientibus Legatis Sedis Apostolicæ. Hoc tamen non ubique receptum est.

Confirmationem posterior ætas, ut in præcedentibus adnotavimus a consecratione distinxit, *(b)* ideoque etiam ea quæ *iurisdictionis* sunt ab his, quæ sunt *Ordinis*;

que-

(a) Quid de hac innovatione senserit Ioan Eckius, vide lib. 3. de Primatu Papae cap. 40. Hoc ius penes Pontificem permansit post sublatas etiam *reservationes*. Propter negligentiam, contumaciam Metropolitanorum aliquando rogati fuere Pontifices, ut Episcoporum electiones confirmarent; quandoque opus erat dispensatione, quam sola Apostolica Sedes concedere poterat. Metropolitani post invectam Pallii accipiendi necessitatem in Conc. 8. Constant. firmatam, novas conditiones amplecti coacti sunt. Quoad Episcopos vero, ubi electioni Metropolitani interesse ipsi desierunt, eundem etiam desierunt Synodice confirmare.

In Italia quamquam eligendi ius Saeculo XIII. ad Cathedralium Clerum, Abbates, & Episcopos tantum coarctatum foret, nihilominus etiam adplerasque Praelaturas Pontifex solus nominabat. Atque hic notatu dignum est, quod Innoc. III. etiamsi Siciliae Regnum feudum esse putaret Apostolicae Sedis, numquam tamen potuit integram Episcoporum electionem sibi asserere lib. 1. Epist. 411.

(b) Bullar. Rom. T. 2 pag. 705. edit. an. 1635. Barbosa lib. 1. iuris Eccles. cap. 8.

quemadmodum novum illud invexit, per Electionem acquiri electo *ius ad rem*, per Confirmationem vero *ius in re*, ut recentiores Canonistæ loqui amant.

Necesse quoque est Consecrationem præcedat iusiurandum *fidelitatis* præstandum Romano Pontifici, non illi prorsus absimile, quod Domino directo Vassallus præstare solet. Antiquitus tantum *Canonicæ obedientiæ* professio, fideique declaratio requirebatur. Imo antiquitas iuxta Iacobi Apostoli monitum (*a*) valde solicita fuit, ne citra maximam necessitatem iuramentum præsertim ab Ecclesiæ Ministris exigeretur (*b*). Anno 1079. Gregorius VII. a Patriarcha Aquiliensi in Concilio Romano merum iusiurandum primus elicuit. At sæculo XIII. vertente, istiusmodi conditio a Pontificibus Palliorum concessioni adiici cœpta est (*c*).

Electus subinde sistitur ante consecratorem, qui priscis omissis interrogatio-

ni-

(*a*) Cum in Ecclesia coeperint electiones celebrari, nullis praesentibus Provinciae Episcopis, verum solius Cleri, Populique suffragiis, mox & Cleri solius gravior, inde exorta est necessitas, ut a Metropolitano confirmarentur Episcopi serio examine praeunte. Math. cap. 5. *non iurare omnino, sit autem sermo vester, est est, non non, quod autem his abundantius est, a malo est.*

(*b*) Vide Conc. 2. Cabilon. cap. 13. Capitular. Reg. Franc. lib. 1. cap. 91. lib. 7. cap. 466.

(*c*) Vide Acta Inn. III. ubi extat formula dandi Pallii, iuncto Sacramento fidelitatis cap. 13. x. de maior. & obed.

nibus, responsionibusque super meritis electi, (a) ac solum Apostolico perlecto mandato, unde consecratio penitus pendet, examen de eius fide moribusque, tamquam nudam ceremoniam conceptis verbis expressam instituit, (b) quo peracto Officiorum suorum eundem admonens, una cum adstantibus Episcopis ipsi manus imponit (c).

FINIS.

(a) Cap. unico ff. de scrutinio in Ordine faciendo.

(b) Formula eexaminis instituendi in ipsa Ordinatione per Metropolitanum Ordinantem recentioris esse instituti videtur. Vide Garner. Diurn. Rom. ubi nulla huius examinis occurrit memoria.

(c) Ritum hunc a Iudaeis ac Synagoga in Ecclesiam traductum, atque ab Apostolis observatum, & per eorum successores ad nos transmissum fuisse putat Gailelmus Beveregius ad *Canonem primum Apostolorum*.

---

pag.	vers.	ERRATA.	CORRIGE
16	17	Ordinum interest.	Ordinem inter., &.
24	6	Antistis.	Antistitis.
25	2	in primam.	in prima.
81	16	Imperatoris.	Imperatoribus.





